
יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ



# HISTORIA ALPHABETI ATTICI

SIVE

QUIBUS FERE TEMPORIS PUNCTIS COMPOSITI SINT CUM CETERI TITULI ATTICI ANNO OL. 94, 2 VETUSTIORES, TUM II, QUI ENDOEUM ET ARISTOCLEM AUCTORES PROFITENTUR.

---

SCRIPSIT

ADOLFUS DE SCHÜTZ

DR. PHIL.

---

BEROLINI.

APUD W. WEBERUM.

1875.



ADOLFO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Omnia fere vetustiora Graecorum, quae hodie exstant, monumenta artis fingendi a viris doctis vulgo ad tempora tam sera referuntur, ut facile quispiam dubitare possit, an recte haec sint judicata atque perspecta. Namque ut illi persuadere sibi non possunt, jam sexto a. Chr. saeculo Graecos ad tantam in hac arte perfectionem pervenisse, quantam, ut exemplo utar, in statuis Aegineticis admiramur, ita eodem jure contraria fieri potest conjectura harum statuarum omnem naturam atque indolem adeo ad remotiorem antiquitatem pertinere, ut, si cum Phidiana arte comparentur, non uno decennio, sed aptius toto fere saeculo ante illam confectae esse videantur. Nostra igitur aetate omnes fere homines veterum rerum litterarumque periti inter se consentiunt pleraque haec monumenta paucis exceptis iis demum temporibus tribuenda esse, quibus Graeci bella illa gloriosa contra Persas gesserint. Cujus opinionis nisi auctor, certe summus hodierno tempore defensor est Henricus Brunnius, qui in egregio libro suo „Geschichte der griechischen Künstler" hanc conjecturam primus continua pertractatione exposuit et comprobare studuit. Hic igitur maxime etiam Atheniensium non solum vetustissima, quae habemus, monumenta ad quinti demum saeculi initium refert, verum etiam eum artificem, de quo primo inter Atticos statuarios certa est memoria, Endoeum ca. Ol. 70 floruisse contendit, quamvis Pausanias[1]) eum Daedali discipulum fuisse ligneaque simulacra exsculpsisse[2]) nobis tradiderit. Brunnius quidem, cum ita censet, rectam sequitur viam ac rationem. Exstat enim nobis basis cujusdam monumenti se-

---

[1]) I, 26, 4. [2]) VII, 5, 9.

pulcralis, in qua inscriptus est titulus, qui extrema habet haec verba: „Ἔνδοιος ἐποίησεν." Ab hac inscriptione in definienda Endoei aetate merito proficiscitur Brunnius, et secutus Rangabéi sententiam, qui hunc titulum ca. Ol. 70 exaratum esse arbitratur, Endoeum ipsum judicat hoc tempore floruisse[1]). Eadem certa ratione Brunnius utitur etiam in circumscribenda aetate ceterorum monumentorum Atticorum, inter quae summo jure imprimis uno nititur, cum quod ipsa ejus statua plane fere est conservata, tum quia basis monumenti exhibet titulum, cujus ex litteratura longe certissimas de aetate monumenti conjecturas fieri posse apparet. Dico pilam illam Aristionis, ab Aristocle statuario confectam. Quamquam hic titulus nonnisi paucis continetur verbis, tamen ista, quam dolemus, inopia quodammodo suppletur, cum etiam alius monumenti basis conservata sit, cujus inscriptio et ipsa Aristoclis statuarii nomen prae se fert. Brunnius igitur in hac quoque re ab ipsis illis titulis profectus, et nixus Boeckhii auctoritate, qui eos ad annos fere Ol. 75—85 retulerat, Aristoclem statuarium ca. Ol. 80 vixisse eodemque fere tempore pilam Aristionis confecisse existimavit[2]). Ad hanc opinionem, quae posita erat in fundamentis tam certis, quae sequebatur auctoritatem Boeckhiorum et Rangabéorum, fieri non poterat, quin mox plurimi discederent, ac nonnisi de levioribus quibusdam rebus pauci aliter senserunt. Maxime Endoeum nonnulli propter ea, quae a Pausania tradita sunt, ad medium sextum a. Chr. saeculum referri voluerunt. De hac re longa fuit controversia, sed adhuc neutra pars in alterius ivit sententiam. Brunnius suam opinionem summa cum constantia obtinuit, quippe quae argumentis innitatur multo certioribus, quam Pausaniae sit auctoritas, qui facile in errore versari potuerit. Sed eodem modo concedendum est etiam Boeckhium et Rangabéum falsas de aetate titulorum illorum potuisse facere conjecturas, praesertim cum eorum temporibus vetustiorum titulorum Atticorum numerus admodum parvus fuerit. Nostris autem diebus inscriptionum Atticarum tanta exstat multitudo post Boeckhii tempora reperta, ut omnes mutationes, omnes-

---

[1]) Griech. Künstlergesch. I p. 100.
[2]) l. c. I p. 107.

que gradus, quos alphabetum Atticum percucurrit, ad certa temporis spatia revocare liceat. Quodsi contigerit, ut historia alphabeti Attici componenda aetas illarum Endoei et Aristoclis inscriptionum quam accuratissime circumscribatur, hac re non solum de omni illa controversia erit decisum, verum etiam omnia cetera monumenta Graeca, quae Aristionis pilae aequalia fere esse videntur, et ipsa satis certis temporibus tribui poterunt. Ad eandem sententiam de Endoeo quidem etiam Brunnius pervenit in eo, quod nuperrime dedit responso[1]), ubi denuo ostendit planumque fecit, ex iis, quae Pausanias tradiderit, accuratam de Endoei aetate rationem omnino non posse deduci, solam inscriptionem illam sibi facere momentum et nonnisi continua palaeographices Atticae descriptione sese posse de sua sententia demoveri[2]).

Haec igitur, quae adhuc desideratur, tractatio, quamque equidem persequi mihi proposui, hodie satis commode atque accurate confici potest, postquam universam, quae huc pertinet, materiam epigraphicam, dispersam adhuc per multas ephemerides et monographias, Kirchhoffius nuperrime in unum conjunxit Corpus Inscriptionum Atticarum. Qui quidem non solum hanc tantam copiam dissipatam ac reconditam undique conquisivit et collegit, collectamque edidit, sed, cum priores singulae editiones omnium fere titulorum exempla exhiberent inaccuratissima, ille per viros harum rerum peritos, lapides ipsos, ubicunque fieri poterat, denuo aut exscribendos aut ectypis chartaceis exprimendos curavit, ita ut ea exempla, quae nunc in C. I. A. exstant, plerumque veris lapidum imaginibus respondeant summamque fidem prae se ferant.

Priusquam autem ad singulos titulos tractandos accedam, antea pauca mihi videntur esse in universum dicenda et de loco, quem Atticum alphabetum inter ceterorum Graecorum alphabeta obtinuerit et de iis proprietatibus, quibus ab illis maxime discrepuerit. Egit quidem de hac re aptissime Kirchhoffius[3]), ita ut ego,

[1]) In actt. acad. Bavar., class. philol. philos. tom. XI pars III: „Ueber die Kunst bei Homer" etc. p. 44 seqq.

[2]) Cf. etiam Overbeck: „Gesch. der griech. Plastik" ed. II tom. I p. 205 not. 57.

[3]) Studien zur Gesch. des griech. Alph. p. 68 seqq.

quae ab illo dicta sunt, probare tantum ac repetere possim; attamen hae proprietates, quoniam ad universum alphabetum Atticum et non ad singulos quosdam titulos pertinent, etiam hoc loco breviter sunt exponendae, ne postea in considerandis singulis inscriptionibus iterum atque iterum commemorari ac repeti debeant.

Earum igitur notarum, quae recepto Phoenicum alphabeto a Graecis mox inveniebantur, Athenienses tres tantum adoptaverunt, quae sunt notae litterarum *υ*, *φ*, *χ*, et cum *χῖ* littera apud eos non Ψ sed X seu + formam habeat, Atticum alphabetum ei ordini tribuendum est, quem Kirchhoffius summo jure orientalem appellat. Sed non plane omnes hujus ordinis proprietates in eo comparent; cum enim in plerisque ceteris, quae huc pertinent, alphabetis duplices soni *ξῖ* et *ψῖ* propriis formis utantur, Athenienses summa cum constantia hoc commodiore usu abstinuerunt et sonos illos semper duabus notis *χσ* et *φσ* designaverunt. Eodem modo ubique operam dederunt, ut quam paucissimas notas in alphabetum reciperent, et quibuscunque carere possent, eas aut non usurparent aut mox ex usu depellerent. Sic *ω* et *η* litterarum propriae apud eos formae non inveniuntur, sed *ω* soni potestatem simplex O forma habet, et *η* forma E designatur. Eaedem autem notae E et O praeterea ad diphthongos *ει* et *ου* designandas adhibentur, ita ut triplex utriusque formae compareat usus, cum E forma *ε*, *ει*, *η*, forma O autem *ο*, *ου*, *ω* sonorum potestatem exhibeat. Denique etiam *γ* et *λ* litterarum formae hoc loco sunt commemorandae. Gamma enim litterae forma est Λ, quae dexterum latus usque ad basim productum habet. Cum autem haec forma eadem sit, atque ea, quae in plerisque ceteris alphabetis Graecis *λ* sonum designare solet, Lamda apud Athenienses diversam formam L accepit, quae etiam in paucis aliis alphabetis maxime apud Chalcidenses usitata erat. Haec habui, quae de alphabeto Attico in universum dicerem; omnes quae praeterea exstant proprietates, in considerandis singulis titulis aptius tractabuntur.

---

Jam accedo ad ipsam disputationem. Ac primum apparet certum fundamentum esse quaerendum, unde proficiscatur omnis

haec tractatio. Circumspiciendi sunt tales tituli, quorum aetas quam accuratissime possit definiri, ut his titulis nixi tum omnes ceteros, et qui antea, et qui postea scripti sunt, consideremus et ad aetatem quam certissimam referamus. Talis ansa, ut ita dicam, chronologica datur nobis a Thucydide, qui I, 93 tradit Athenienses, cum post pugnam Plataeensem invitis Lacedaemoniis urbem muro circumdare in animum induxissent, brevi illo quod iis relictum fuerit spatio, quo Themistocles Spartae cum Lacedaemoniis de muro exstruendo ageret, quantum possent usos, moenia illa tanta cum celeritate tantaque trepidatione aedificasse, ut multas pilas sepulcrales multosque lapides arte praeparatos ad muros exstruendos adhibuerint. Sed ipsum Thucydidem loquentem faciamus, qui loco illo haec dicit: „*Τούτῳ τῷ τρόπῳ Ἀθηναῖοι τὴν πόλιν ἐτείχισαν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ. Καὶ δήλη ἡ οἰκοδομία ἔτι καὶ νῦν ἐστιν, ὅτι κατὰ σπουδὴν ἐγένετο. Οἱ γὰρ θεμέλιοι παντοίων λίθων ὑπόκεινται καὶ οὐ ξυνειργασμένων ἔστιν ᾗ, ἀλλ' ὡς ἕκαστοί ποτε προςέφερον, πολλαί τε στῆλαι ἀπὸ σημάτων καὶ λίθοι εἰργασμένοι ἐγκατελέγησαν.*“ Cum autem constet duobus annis antea totam Atheniensium urbem a Xerxe devastatam et eversam fuisse, facile patet eo tempore, quo murus aedificabatur, multa inde exstitisse in urbe mutilata monumenta et artis opera. Itaque intelligi potest Athenienses non omnia, quae iis fors obtulerit monumenta, et integra et deleta, moenibus immisisse, sed tantummodo ea, quae mutilata et truncata urbi oneri tantum et dedecori fuerint. Quam ob rem omnia monumenta quae nostris temporibus e muro Themistocleo effodiuntur non modo anno Ol. 75, 1, quo anno Xerxes urbem devastaverat, vetustiora sunt habenda, sed aliqua cum verisimilitudine vel sexto a. Chr. saeculo tribui possunt. Nihilominus nos non sola hac ratione satis quidem certa innitemur, sed ne ullo modo fallamur, singulos illos titulos etiam propter solam speciem suam atque indolem ad sextum saeculum pertinere demonstrabimus. De consilio autem, quod in hac disputatione persequar, monendum habeo, imprimis quidem mihi propositum esse, ad veterem illam, quae est de artis operibus Graecis, controversiam tractandis titulis Atticis novas rationes admovere, qua de causa palaeographicen Atticam tantummodo usque ad Ol. 80 fere describere mihi opus est, quibus temporibus seriores

illae Endoei et Aristoclis inscriptiones ne a Brunnio quidem judicantur. Sed quoniam historia alphabeti Attici etiam per se ipsam summi est momenti ac dignissima, quae describatur, ego hoc consilium cepi, etiam ultra bellorum Persicorum tempora eam perducere, ut clarissime cognoscatur, quomodo et quibus fere temporis punctis alphabeti Attici formae mutatae sint, atque ut unusquisque titulus Atticus ad aetatem quam certissimam possit revocari. Ex hoc quod declaravi proposito omnis materia a me tractanda sua sponte dividitur in partes tres: primum agendum erit de iis titulis, qui ante annum Ol. 75, 1 exarati sunt, deinde, cum multas ob causas aptum videatur, ex hoc numero titulos illos ab Endoeo et Aristocle incisos[1]) secernere, altera parte hi tituli separatim tractandi erunt; tertia denique pars continetur iis titulis, qui scripti sunt inter annos Ol. 75, 1 et Ol. 94, 2, quo anno archonte Euclide Athenienses ipsorum alphabeto ultro se abdicarunt.

---

[1]) v. C. I. A. num. 477, 344, 464.

# PARS PRIMA.

## Inscriptiones ante Ol. 75, 1 exaratae.

Tituli, qui ad hanc partem pertinent, universi aut monumentis sepulcralibus, aut donariis incisi sunt, et excepto uno, (C. I. A. n. 332) qui in publico donario inscriptus est, omnes positi sunt a privatis hominibus. Publica autem, quae habemus monumenta omnia post annum Ol. 75, 1 sunt confecta. Quod idcirco commemoro, ut inde cognoscatur, quam nota et usitata jam sexto saeculo ars scribendi apud privatos homines fuerit.

### *I. De iis titulis, qui Θῆτα litterae noviciam formam* Θ *exhibent.*

Adhuc tres in muro reperti sunt tituli, quorum duo jam dudum noti saepiusque editi in Corpore Inscr. Att. n. 479 et 483 inveniuntur. Tertius recentissimo demum tempore repertus est, cum C. I. A. jam editum esset. Illi, qui aperte eadem fere aetate compositi sunt, recentiorem speciem prae se ferunt; hunc aliquanto esse vetustiorem primo aspectu intelligitur, qua de causa infra demum tractandus erit. Aptum videtur exordiri a titulo n. 479, quippe qui notas quasdam exhibeat, e quibus certae rationes deduci possunt ad definiendam aetatem vetustiorum inscriptionum Atticarum. Lapis, cui inscriptio incisa erat, anno 1832 repertus est, in duas partes confractus, quarum neutram exstare valde est dolendum. Et ne apographum quidem accuratum habemus totius tituli, sed minoris tantum fragmenti exemplum exstat in Rossii diario, unde a Kirchhoffio in C. I. A. est receptum. Sic in C. I. A. altera pars ex Rossii delineatione, altera, cujus apographum accuratum deerat,

typis edita est. Quodsi has duas partes inter se contuleris, protinus minori, quae ex Rossii diario deprompta est, plus tribuendum esse cognosces, quam ob rem hujus fragmenti litterarum majorem rationem habebimus. Ac primum notandae sunt *α* et *ε* litterarum formae vetustissimae A et E, quarum maxime hoc loco momentum facit E forma, quia exacto sexto saeculo paucissima ejus vestigia inveniuntur; (quae in fragmento *b* comparent formae E et A fortasse propter typographi incuriam pro iisdem illis E et A formis expressae sunt). Deinde quod sibilans littera tribus lineis scripta est, spiritus asper apertam formam H exhibet, non est mirandum, cum Σ formae primordia non ante Ol. 80 occurrant et spiritus asperi plena forma ⊟ tantummodo in antiquissimis titulis inveniatur. Unum autem summi est momenti: in hoc titulo satis vetusto *ϑ* litterae jam novicia forma Θ constanter usurpata est. Videmus igitur illo tempore vetustiorem formam ⊕ jam ex usu depulsam fuisse, quare omnes tituli, qui hanc ⊕ formam praebent, certe anno Ol. 75, 1 anteriores sunt habendi. Quod quidem hoc loco sufficiat; postea accuratius ostendetur, quando fere ⊕ forma exoleverit, ubi hujus tituli aetas certius erit circumscripta. Etenim non solum ante Ol. 75, sed vel ca. Ol. 70 eum exaratum esse maxime intelligitur ex *μ* et *ν* litterarum formis. Comparet enim *μ* litterae forma vetustissima M, et *ν* quoque formam N habuisse ex ea, quae vs. 2 superest, particula Γ satis elucet. Jam concedendum est illarum litterarum formas hac omni, de qua agimus, aetate usum habuisse adeo infirmum atque inconstantem, ut, si quis titulus aut antiquiores aut recentiores formas exhibeat, hujus rei causa certa conjectura de ejus aetate fieri non possit. Attamen harum formarum usus tam varius non prorsus omni lege caret, quam ob rem, ne hoc infirmo qui videtur usu unquam conturbemur, jam hoc loco eam, quae cognosci potest, rationem breviter describere aptum videtur. Atque genuinas quidem *μ* et *ν* litterarum formas M et N fuisse satis constat, quae quidem formae in vetustissimo quoque titulo constanter usurpatae sunt. Deinde post medium sextum saeculum (ca. Ol. 62) formae M et N in usum venerunt, atque ita, ut initio quidem raro tantum adhiberentur, mox autem in iisdem titulis cum vetustis

illis formis plane promiscue occurrerent. Hae autem antiquissimae 𐌌 et 𐌍 formae procedente tempore magis magisque in desuetudinem abierunt et ca. Ol. 70 vel paulo postea plane eas exolevisse verisimile est. Sed hoc quidem admodum est incertum, cum ex hoc tempore nulli fere tituli supersint. Denique adnotandum est etiam M et N formas haud diu principatum obtinuisse, cum jam ca. Ol. 80 pro M constanter M forma recentissima et praeter N inclinatum etiam erecta forma N reperiatur. Hae autem duae formae recentissimae M et N, quae postea solae in usu permanserunt, ea aetate, de qua agitur, nondum occurrunt, qua de causa a nobis hoc loco tantummodo vetustissimae 𐌌 et 𐌍 et mediae M et N formae tractandae sunt. Quoniam igitur extremis sexti saeculi decenniis promiscue hae formae usurpantur, ex iis plane accurata de titulorum aetate ratio deduci non potest, sed constant tantummodo haec: primum omnes titulos, qui antiquissimas et medias harum litterarum formas promiscue exhibeant, ad idem fere temporis spatium pertinere, deinde eos titulos, in quibus vetustissimae formae plerumque compareant, certe aliquanto vetustiores esse, quam eos, in quibus mediae M et N formae praevaleant. In hoc igitur, de quo agitur titulo antiquissimae formae 𐌌 et 𐌍 semel inveniuntur; usurpandi locum praeterea non fuisse dolendum est. (Eae scilicet, quae in fragmento *b* conspiciuntur litterae *ν* formae, quoniam non eaedem sunt, quas habuit ipse titulus, prorsus sunt praetermittendae). Sed solae, quae in fragmento *a* exstant formae 𐌌 et 𐌍 momentum faciunt. Nam cum certe paulo post quinti saeculi initium, fortasse jam ca. Ol. 70 hae formae plane exstinctae sint, — quam conjecturam satis probabilem esse tertia hujus disputationis parte videbimus[1]) — certe titulus n. 479, qui has formas exhibet, non diu post Ol. 70 compositus esse potest; equidem ad Ol. 70 eum retulerim. Ex hac autem conjectura de aetate omnium vetustiorum inscriptionum Atticarum certa haec deducitur ratio: Cum in eo, quem tractavimus, titulo ad ϑ litteram designandam jam novicia Θ forma adhibita sit, facere non possumus, quin vetustiorem ⊕ formam jam ante quinti

---

[1]) In considerando titulo C. I. A. n. 5.

saeculi initium exolevisse coniciamus. Itaque omnes tituli, in quibus ⊕ forma comparet, solius hujus rei causa quinto saeculo anteriores putandi sunt.

Prorsus idem alphabetum, quod adhuc cognovimus, conspicitur in titulo C. I. A. n. 480. Hic titulus, quamquam adeo mutilatus est, ut paucis litteris contineatur, neque ulla eum restituendi facultas sit data, tamen iis maxime litteris utitur, quae hoc loco imprimis faciunt momentum. Exhibet enim litteras Θ, M, N, Λ, E, quarum formarum causa summa cum fiducia contendi potest hunc titulum et ipsum ca. Ol. 70 esse exaratum. Quod litterarum $\mu$ et $\nu$ solae vetustissimae formae M et N ac non mediae quoque M et N comparent, hac re omnino non offendimur, cum aperte casu tantum in hoc exiguo fragmento mediae illae formae desint. Contra, qui sequuntur tituli n. 481 et 482 has medias formas exhibent; ac n. 481 ter habet N formam, semel N; $\mu$ littera semel comparet ibique M forma utitur, in n. 482 deest fortuito; $\nu$ autem N est. Ceterum etiam in his titulis conspiciuntur formae Θ, Λ, E. De E forma, quam n. 482 praeter E praebet, postea accurate agendum erit. Denique hoc loco de iis, quas litterae $\varrho$, $v$, $\chi$ in titulis Atticis exhibent, formis pauca videntur esse dicenda. Omnium trium litterarum complures inveniuntur formae, sed nulla ex iis de aetate titulorum ratio fieri potest, propterea quod paene omnes omnibus temporibus in usu fuerunt. Primum caninae litterae notandae sunt formae R et R, quae in his titulis comparent; praeter eas usitatae fuerunt P et P formae, in nonnullis titulis vetustissimis occurrit vel D nota. Deinde $v$ et $\chi$ in iis quos tractamus titulis formis V et + utuntur; praeterea autem $v$ habuit Y et Υ formas, quarum haec post Ol. 80 fere in usum venit et inde a medio quinto saeculo vulgo usurpabatur; $\chi$ litterae alteram formam X fuisse notum est. Quarum formarum nulla praeter D et Υ ad certum temporis spatium pertinet, ita ut nihil ex iis de alicujus tituli aetate conici possit. Nam quamquam caninae litterae angulatae formae P et R antiquiores putandae sunt, quam rotundatae P et R, tamen in iis quidem, qui exstant, titulis utraeque eundem habent usum: P invenitur jam in titulis vetustissimis (cf. n. 463) et R medio quinto saeculo valde

est usitatum. Nec minus $\upsilon$ litterae vetustior forma V in serioribus titulis comparet, et Y forma jam remotissima antiquitate nota et in usu fuit (cf. n. 465). Unum id dicendum est unumquemque scalptorem in exarandis titulis ejusdem litterae raro diversas sed plerumque easdem formas inscripsisse, quam ob rem ii tituli, qui harum litterarum diversas formas praebent, aliqua cum fiducia ad diversas manus sunt referendi. Itaque nos non in unoquoque titulo tractando commemorabimus, quibus formis in eo utantur $\varrho$, $\upsilon$, $\chi$ litterae, sed tantummodo iis locis has litteras respiciemus, ubi singularem quandam exhibent proprietatem.

Venimus ad n. 483, qui titulus, ut 479, in muro repertus est, quique eam ob causam et ipse anno Ol. 75, 1 vetustior est existimandus. Valde dolendum est $\vartheta$ litteram non esse usurpatam; nam si hic quoque titulus recentiorem formam Θ exhiberet, hac re ea, quam supra fecimus, conjectura clarissime confirmaretur. Ceterum $\alpha$ et $\varepsilon$ litterae antiquiorem speciem praebent; quod $\alpha$ litterae transversa linea magis librata est, ut A forma compareat, non est indicium serioris aetatis, cum haec forma etiam in vetustioribus titulis reperiatur. Nec magis sibilantis litterae forma ≷, quae hic exstat, usum ab ϟ forma diversum habuit; $\mu$ littera deest, litterae $\nu$ bis conspicitur forma vetustissima Ͷ (vs. 1 et 3), semel media N forma (vs. 2). In vs. 1 denique notam ☋ non ligaturam esse, sed correcturam, Kirchhoffius in C. I. A. ostendit. Ut n. 483 etiam tituli n. 478, 352, 353, propterea quod $\vartheta$ litteram non exhibent, ad certum temporis spatium revocari non possunt, ac cum de alphabeto ex iis novi nihil intelligatur, licet eos praetermittere.

*II. De iis titulis, qui $\vartheta$ litterae vetustiore ⊕ forma utuntur.*

Ordiendum est a recentioribus sexti saeculi inscriptionibus, quae litterarum $\mu$ et $\nu$ antiquissimas et medias formas promiscue exhibent, quasque eam ob causam extremis sexti saeculi decenniis compositas esse apparebit.

Ac primum quidem agamus de titulis n. 349 et 351; ambo exhibent antiquum ⊕, $\mu$ littera in n. 351 fortuito deest, in n. 349 exstat quidem semel, sed mira forma et singulari, quam mendose

scriptam esse elucet. Contra *ν* littera in n. 349 inconstantem illum praebet usum, cum in hoc titulo ter media, ter antiquissima forma compareat. In n. 351 litterae *ν*, quae quater conspicitur, sola ubique antiqua 𐌍 forma incisa est. Unum autem imprimis est memorandum: in utroque titulo *ε* litterae non antiqua illa, quam novimus, 𐌄 forma sola reperitur, sed praeterea Ɛ et E formae, quarum illam (Ɛ) jam supra breviter notavimus. De usu harum trium ejusdem litterae formarum haec dicenda sunt. Genuina et vetustissima forma est 𐌄, quae quidem inde a vetustissimis temporibus usque ad quinti saeculi initium vulgo usurpabatur, quippe quod ex iis titulis, quos supra consideravimus, satis eluceat. Haec autem antiquissima forma jam admodum mature ita mutata est, ut transversae quidem lineae obliquae manerent, hasta autem jam non produceretur. Quam formam Ɛ jam medio sexto saeculo aliqua ex parte in usum venisse infra videbimus. Tum procedente tempore hujus formae Ɛ obliquae lineae erigebantur, qua mutatione recentissima E forma effecta est, quae post bella Persica expulsis antiquioribus formis 𐌄 et Ɛ sola in usu permansit. Cum autem extremo sexto saeculo omnes tres formae una floruerint, consequens fuit, ut eorum usus admodum inconstans fieret. Quae inconstantia, cujusmodi sit in iis, de quibus agimus, titulis, jam accuratius inspiciamus. In n. 349 semel tantum antiqua 𐌄 forma comparet, octies autem recentissimum E incisum est; eandem formam n. 351 ter exhibet, media autem forma Ɛ quater conspicitur. Itaque in his titulis antiquissima forma excepto uno exemplo plane deest, et solae recentiores formae usurpatae sunt; cum autem in aliis ejusdem temporis inscriptionibus solam vetustissimam formam reperiamus, noviciis formis aut plane praetermissis aut rarissime tantum admixtis, perspicue intelligitur antiquissimam 𐌄 formam in iisdem titulis cum recentioribus formis non prorsus promiscue esse usurpatam, sed singulos titulos plerumque aut solam vetustissimam, aut solas recentiores formas exhibere.

Videmus igitur inde a medio sexto saeculo *ε* litterae formas eadem fere inconstantia usurpatas esse, quam litterarum *μ* et *ν* formas eadem aetate praebere notavimus. Sed duabus rebus utraeque litterae differunt. Primum litterae *ε* mutatae prima vestigia

jam ante medium sextum saeculum inveniuntur[1]), cum jam tunc media Ɛ forma in usum venerit; μ et ν autem litterae extremis demum sexti saec. decenniis mutari coeptae sunt. Deinde litterae ε in iisdem titulis raro diversae sed plerumque eaedem constanter formae inscriptae sunt; litterarum autem μ et ν formas antiquas et novicias iidem tituli plane promiscue usurpatas exhibent. Hanc de usu μ, ν, ε litterarum legem recte esse perspectam et re vera exstare clarissime intelligitur cum e ceteris, quas hoc loco tractabimus, inscriptionibus, tum e tertio illo titulo, qui e muro Themistocleo nostris temporibus effossus est.

Basis est marmoris Parii, reperta in muro mens. Aug. anni 1873; exscripsit Lueders, idem Kirchhoffio misit ectypon. Cum haud procul ab eo muri loco, quo repertus est titulus, duo fragmenta pilae cujusdam sepulcralis eruta sint, titulum et pilam ad idem pertinere monumentum conjecit Cumanudis[2]). Sed hoc nimis incertum est, neque hodie ullo modo potest demonstrari. Utcunque res se habet, titulum et pilae fragmenta una ediderunt Kirchhoffius et E. Curtius in „actt. acad. regiae litterar. Berol. 1873 p. 153 seqq. Titulus, qui plane integer servatus est, haec habet verba:

„Σῆμα πατὴρ Κλεί|βουλος ἀποφθιμέ|νῳ Ξενοφάντῳ |
θῆκε τόδ' ἀντ' ἀρετῆς | ἠδὲ σαοφροσύνης.“

Primum notanda est ⊕ forma, deinde de My quidem littera, quae bis exstat, dubitari potest, utrum in linea posita, an linea altior sit. Sed in usu Ny litterae inconstantiam illam, de qua dictum est, aperte videmus. Ter enim comparet media Ν forma, bis antiquum Ν; sunt igitur hae formae promiscue usurpatae. Non autem idem de littera ε dici potest, quae in hoc titulo undecies antiquissimam Ɛ formam, nusquam E recentissimum et semel tantum mediam formam Ɛ exhibet. Nec minus confirmatur eadem lex, quam de usu μ, ν, ε litterarum statuimus, alio quodam titulo, qui et ipse edito jam Corpore Inscr. Att. repertus est, idque non Athenis seu in Attica, sed in musei Britannici camera subterranea, ubi reconditus fuit fortasse ex Elgini temporibus. Editus est ab Hirschfeldio: „Arch. Ztg. 1873 N. F. Bd. 6, Heft 3, pag. 108.

---

[1]) Cf. titulos C. I. A. n. 465 et 471. [2]) Ἐφημ. ἀρχαιολ. τ. 17.

Fragmentum est columellae Doricae marmoris Pentelici. Verba tituli incisae sunt in striis columellae. Legitur in superiore stria extrema pars inscriptionis statuarii: — ς μ' ἐποίησε, in inferiore: — ε σῆμ' ἀγαϑοῦ, quod ad analogiam titulorum n. 455 et 466 facile ita restituitur:

„Τοῦ δεῖνος τόδ]ε σῆμ' ἀγαϑοῦ [καὶ σώφρονος ἀνδρός]."

Alphabetum plane idem est, de quo nunc agitur: ϑ est ⊕, μ semel media M, semel vetusta M forma utitur, ν littera deest, ε autem quater exstat, atque constanter media E forma, quae hastam jam non deorsum productam, transversas autem lineas nondum libratas habet. Sic etiam in hoc exiguo fragmento My litterae formarum usus ille promiscuus, ε autem litterae semper eadem forma comparet.

Jam eorum qui eidem ordini tribuendi sunt titulorum una considerare in animo habeo n. 348, 475, 476. In omnibus ⊕ comparet, n. 348 et 476 My litteram non habent, Ny in utroque semel exstat, atque in n. 348 medium N, in n. 476 antiquissimum N; num. 475 My litteram quater, Ny bis exhibet, atque My ter vetustissimo M, semel medio M utitur, Ny autem litterae sola N forma comparet. Denique ε litterae in omnibus his titulis tantummodo antiquissima E forma usurpata est. Spiritus asperi in iis, quos tractamus, titulis semel tantum in n. 476 parva particula reperitur, cujus formam H fuisse apparet; etiam hoc loco (ut in n. 481) spiritus in medio verbo exstat. Eo magis mirandum est, quod in n. 351 vox Ἐόρτιος spiritum non praebet, praesertim cum ineunte voce ejus usus multo frequentior fuerit, quam in media voce. Habemus igitur exemplum admodum vetustum illius inconstantiae et licentiae, quam in usu spiritus asperi extremo quinto saeculo fuisse videbimus.

Porro huc refero titulos n. 350 et 357. Ille exhibet praeter ⊕ formam constanter antiquum E; My deest, Ny bis antiqua, semel media forma utitur, quibus de causis et hunc titulum ad extrema sexti saec. decennia referendum esse apparet, ita ut omnino non possit dubitari, quin Kirchhoffius recte judicaverit, vocem νησιώτης, quae in titulo legitur, non ad Nesiotam statuarium pertinere, sed patriam Alcibii citharoedi designare. Deinde n. 350

memorabilis est propter miras quasdam nonnullarum litterarum formas. Primum bis comparet litterae φῖ forma ⊖, quae est plane singularis neque in ullo alio titulo invenitur. Quam ob rem non est verisimile hanc formam praeter consuetum Φ in usu fuisse, sed in hoc titulo solam propter scalptoris licentiam videtur exstare. Namque etiam aliae hujus tituli litterae ita sunt incisae, ut leviter sinistrorsum flexae esse videantur. Sic conspicitur litterae *α* quinquies P forma, litterae *δ* semel forma ▷, et *ν* litterae ter N forma, quae hoc modo fortuito eadem est atque illa recentissima forma, quae inde a medio quinto saec. vulgo usurpabatur. Has miras quas hic titulus exhibet formas re vera seu scalptoris licentia seu casu inscriptas esse, maxime intelligitur e ceteris, quae conspiciuntur, litterarum *δ*, *α*, *ν* formis. Inveniuntur enim etiam usitatae illae harum litterarum notae: Δ, A, N, N. Ceterarum litterarum notandae sunt ⊕, M, ≷ formae.

Praetermitto titulum n. 473, quippe qui mendosissime sit exscriptus. Exstant formae ⊕, N, E, A etc.; quae conspicitur M forma certe M seu M fuit. Transeo potius statim ad titulos n. 358—360 tractandos, quorum quisque exhibet complures difficultates. Prius agamus de n. 359 et 360. Propter ⊕, N, E formas uterque ad extremum sextum saec. videtur pertinere. Sed haec opinio in dubium vocatur, cum ambo tituli *α* litterae noviciam A formam praebeant, cujus prima vestigia ca. Ol. 75 demum reperiuntur. Qua de causa aut ⊕ formam per licentiam posteriore tempore pro Θ usurpatam esse, aut A formam per mendum eorum, qui exscripserunt, in Corporis Inscr. Att. exemplis exstare conuciendum est, praesertim cum haec exempla non ex ectypis, sed ex apographis confecta sint. Atque ego quidem hoc arbitror, titulos istos non satis accurate esse exscriptos et re vera antiquam A formam pro A exhibere. Etenim aut A formam jam sexto saeculo aut ⊕ formam quinto saeculo in usu fuisse non potest existimari, propterea quod omnino nullum aliud hujus rei exemplum habemus. Ceterum in n. 360 scriptura plena *ου* pro consueto O in voce *Ἡρακλέους* plane singularis est, quippe quae in quinti quidem saeculi inscriptionibus saepius reperiatur, in titulo autem sexti saeculi admodum sit mira.

Etiam titulus n. 358, ad quem jam accedimus, complures ob causas memorabilis est. Propter ⊕, Ν, Ε formas ad hunc ordinem eum revocandum esse apparet; *α* et *σ* praeterea usitatas exhibent Α et Ϟ formas. Inter haec autem cujusdam vetustatis indicia forma una conspicitur valde mira et singularis. Dico formam **Ω**, quae in voce *Λευκολοφίδω* comparet, ibique non cum *ω* litterae potestate, sed ad *ου* sonum designandum adhibita est. De hac re Kirchhoffius „Stud. z. Gesch. d. griech. Alph. p. 71“ satis apte egit. Elucet hanc formam hoc loco usurpatam esse ex more insulanorum, maxime Pariorum et Siphniorum, quorum in alphabeto *ου* sonum hac **Ω** forma designatum fuisse constat[1]). Nihilominus admodum est mirum, quod talis forma immixta est titulo Attico tam vetusto, atque repetere tantum possumus, quae monuit Kirchhoffius, casu magis quam consilio id factum esse, et comprobari hac re Athenienses jam temporibus antiquioribus ceterorum Graecorum alphabeta adeo novisse, ut singulis formis illorum propriis fortuito uti potuerint. (Vide praeterea in titulo n. 93, qui ca. Ol. 90 scriptus est, formam **Ω** semel sicut hoc loco ad *ου* sonum designandum, semel ex Ionum more cum *ω* litterae potestate adhibitam.)

Omnes tituli, quos hoc ordine tractavimus, haec imprimis propria insignia prae se ferunt: primum omnes ad *ϑ* litteram designandam ⊕ forma utuntur, deinde My et Ny litterarum antiquas et medias formas promiscue exhibent, tum *ε* litterae alii antiquam, alii mediam, alii recentissimam formam praebere solent, denique omnes scripti sunt a sinistra in dexteram, neque ullius tituli versus *βουστροφηδόν* vel sinistrorsum conversi sunt. Quodsi jam id temporis spatium, ad quod omnes referendi esse videantur, accuratius circumscribere conamur, aliqua cum fiducia dici potest hanc aetatem extremis sexti saeculi decenniis contineri ita, ut forsitan interposita sit inter annos Ol. 62 et Ol. 68. Aevum illud adeo longum fuisse coniciendum est, propterea quod tanta multitudo earum, quae nobis conservatae sunt, inscriptionum eo pertinet.

---

[1]) Cf. Kirchhoff l. c. p. 55 seqq.

### *III. De bustrophica scriptura et de usu Koppa litterae.*

Pervenimus igitur ad eam aetatem, qua scriptura *βουστροφηδόν* conversa in usu erat. Sed priusquam ipsos hujus aetatis titulos consideremus, antea pauca illa exponenda sunt, quae de ratione atque usu illius scripturae omnino possunt perspici ac pro certo haberi. Ac de Attico quidem usu traditum est, leges illas, quas anno Ol. 46, 3 promulgavit Solon, *βουστροφηδόν* scriptas fuisse, quod, cur in dubium vocetur, nulla omnino est causa. Itaque conicere possumus scripturam illam Solonis aetate vulgo fuisse usitatam. Sed hic usus nullo tempore apud Graecos plenus et constans fuit. Ut exemplo utar, titulis quidem Ionicis, qui sexto saeculo compositi sunt, satis probatur hoc tempore bustrophicam scripturam frequentissimum usum habuisse[1]); attamen illi militum mercenariorum tituli, qui Abu Simbel reperti sunt, quosque certe septimo saeculo, fortasse Ol. 40, exaratos esse, clarissime ostendit Kirchhoffius[2]) recentiore scriptura a sinistra ineunte utuntur. Ac tempore tam vetusto vetustam illam scripturam non notam et usitatam fuisse, opinari non possumus, cum eadem ipsa scriptura tempore multo seriore vulgaris fuerit.

Immo vero ipsos illos mercenarios, a quibus tituli illi incisi sunt, bustrophicam scripturam haud ignorasse ex uno titulo[3]) clare intelligitur, quam ob rem coniciendum est casu tantum sive licentia hanc scripturam ad ceteros titulos exarandos non esse adhibitam. Nec minus tituli Theraei, qui omnium titulorum Graecorum vetustissimi sunt, modo a sinistra, modo *βουστροφηδόν*, modo a dextera sunt scripti. Unde quamquam elucet illius scripturae usum nunquam firmum ac stabilem fuisse, tamen hoc quidem aliqua cum fiducia affirmari potest, atque hanc rationem in considerandis titulis Atticis sequemur: si quis titulus *βουστροφηδόν* scriptus est, remotiore antiquitate eum compositum esse pro certo habere possumus. Ii autem tituli, qui hac scriptura non utuntur, eam ob causam non sunt habendi recentiores, sed possunt quidem ad vetustissima

---

[1]) Cf. Kirchhoff: Gesch. d. griech. Alph. p. 13 sq.

[2]) l. c. p. 31 seqq.

[3]) v. Kirchhoff l. c. p. 33 num. 10.

tempora pertinere, dummodo litteraturae ratio talis antiquitatis prae se ferat indicia. Duae imprimis res summi sunt momenti: primum ea aetate, qua bustrophica scriptura nondum exoleverat, jam novicia spiritus asperi forma H antiquum ⊟ ex usu depulerat, quam ob rem omnes tituli a sinistra ineuntes, qui antiquum ⊟ exhibent, certe vetustiores habendi sunt, quam ii tituli *βουστροφηδόν* scripti, qui jam H forma utuntur. Deinde iis temporibus, quibus bustrophica scriptura apud Athenienses nota et in usu erat, litterarum My et Ny mediae formae et *ε* litterae forma recentissima nondum vulgarem illum, quem supra denotavimus, usum habuisse videntur, quare, quoniam in omnibus titulis *βουστροφηδόν* scriptis solae ubique antiquae formae M, N, E vel E inveniuntur, scripturam bustrophicam in desuetudinem jam abiisse verisimile est, priusquam M, N, E formae usurpari coeptae sint. Duo quidem tituli reperiuntur, qui ab hoc usu discedere videantur: C. I. A. n. 343 et 346. Ille uno versu continetur, cujus initium a dextera factum est; tamen in eo quidem exemplo, quod C. I. A. exhibet, litterarum *μ* et *ε* noviciae M et E formae comparent; deinde in n. 346, qui titulus quamquam non *βουστροφηδόν* est scriptus, propter ⊟ formam, quam habet, ad remotiorem antiquitatem referendus est, litterae Ny aperte exstat media N forma. Itaque isti tituli aut non satis accurate exscripti sunt, (ectypa desiderantur), aut concedendum est jam in vetustioribus titulis nonnulla rarissima scilicet M, N, E formarum exempla reperiri.

Jam ad ipsos, qui ex hoc tempore nobis servati sunt, titulos accedamus. Praecipue unum monumentum hoc loco maximi est momenti ac ponderis, monumentum illud Sigeense[1]), de quo per longum tempus homines docti perperam judicaverant, donec recentissima demum aetate incorrupta ejus integritas cognita et comprobata est. Ex quo enim Boeckhius hunc titulum seriore aetate in speciem antiquitatis assimulatum eique hanc ob causam omnem auctoritatem atque fidem denegandam esse contendit, factum est, ut paulatim complura monumenta et Ionica et Attica reperirentur, quorum ratio atque indoles Sigeensi titulo simillimae erant, quorum-

---

[1]) Corp. Inscr. Graec. I n. 8.

que fidem in dubium vocare nec causa erat nec facultas. Quae cum ita essent, Kirchhoffius, postquam inscriptionem illam falsa premi suspicione sibi persuasit, in libello illo de alphabeto Graeco (p. 18 seq.) non solum debitam ejus auctoritatem splendidissime restituit, verum etiam scripturam tituli tam constantem esse adeoque anomaliis vacare ostendit, ut pauca monumenta epigraphica aequalitate et congruentia litteraturae huic titulo pares esse videantur. Ac de tempore, quo incisus est titulus, Kirchhoffius indagavit, eum certe non posse imperio Pisistratidarum esse seriorem, quod quidem cum considerandis litteris et Ionicae et Atticae inscriptionis tum multis historicis argumentis demonstravit planumque fecit.

Hac igitur defensione titulus omni suspicione exsolutus est, nec jam reperiuntur, qui pravo vetustatis imitandae studio eum effectum esse hodierno tempore contendere vel existimare possint. Exempli causa Bergkium nomino, qui post Kirchhoffium de hoc monumento egit[1]). Ac probat quidem omnino ea quae dixit Kirchhoffius ad restituendam monumenti auctoritatem; de aetate, qua confectum sit, et ipse judicat ad Pisistratidarum tempora monumentum esse referendum; de origine tantum duarum illarum inscriptionum aliam facit conjecturam. Non meum est, hoc loco dijudicare, utrius opinio sit probabilior. Unum dico: si Kirchhoffius recte arbitratus est, Phanodico illi sub Persarum imperio Proconnesi insulae tyrannidem fuisse delatam, hac re certum terminum consequeremur, post quem monumentum compositum esse putandum sit. Cum enim Persae Ol. 58, 1 deleto Lydorum regno Graecas colonias in potestatem suam redegerint, postea demum Phanodicus ille Proconneso praefectus fuisse potest, ita ut etiam monumentum illud post Ol. 58, 1 Sigeensibus ab eo sit dedicatum. Ceterum, quoniam ea quae Bergkius Kirchhoffio objecit, rem ipsam quae sola hoc loco momenti est, videlicet integritatem et auctoritatem inscriptionis non in dubium vocant, sed probant et confirmant, ego quidem ad ipsum Atticum monumenti titulum tractandum jam accedam.

Primo aspectu tria comparent indicia, propter quae hic titulus vetustiori tempori tribuendus est, quam omnes ceteri, de quibus

---

[1]) In „Philologo" tom. 32 pag. 122 seqq.

adhuc egimus. Primum scriptura conversa est βουστροφηδόν; deinde My et Ny litterarum antiquissimae et mediae formae jam non promiscue sunt usurpatae nec jam litterae ε usquam invenitur recentissima illa E forma, sed sine ulla exceptione ubique comparent vetustae formae Μ, Ν, Ε, Ε, quarum Ε forma bis conspicitur (vs. 2 et vs. 10). Denique hic titulus omnium de quibus actum est, primus constantem interpunctionem exhibet, et, id quod memorabile est, priore parte duo, altera constanter tria puncta videmus insculpta. De usu interpunctionis in titulis Atticis paene eadem dicenda sunt, quae de bustrophica scriptura supra memoravimus. Si quis titulus utitur interpunctione plena illa, quae singula verba duobus vel tribus punctis sejungit, hic in antiquissimorum numero est habendus; si minus, potest quidem esse vetustissimus, dummodo indicia remotioris antiquitatis compareant. Quae lex omnibus titulis Atticis probatur, exceptis quibusdam populiscitis, quae cum in aliis rebus traditam consuetudinem diutius conservaverunt, tum veterem ac plenam interpunctionem etiam post bella Persica nonnumquam exhibent[1]. Ceterorum titulorum pauci iique vetustiores constanter interpuncti sunt; plerique et antiquiores et seriores interpunctionem aut omnino negligunt, aut summa cum licentia quibusdam locis usurpant. In Sigeensi igitur titulo interpunctio, cum constanter observata sit, indicium est cujusdam vetustatis.

Singularum deinde litterarum summi momenti est forma spiritus asperi, qui in hoc titulo vetustissimo jam noviciam H formam pro antiquo ⊟ praebet. Hoc argumento gravissimo rursus certum quasi fundamentum chronologicum jacitur. Omnes enim tituli, qui ad designandum spiritum antiquam ⊟ formam adhibent, summa cum fiducia Sigeensi monumento putandi sunt anteriores. Qua de causa, cum hic titulus ad certum temporis spatium possit referri, etiam de aetate eorum, in quibus ⊟ forma reperitur, titulorum, planius et accuratius judicare licebit. Priusquam autem de monumenti Sigeensis aetate agatur, antea ceterarum litterarum formae, quamvis minoris momenti sint, breviter sunt considerandae, praecipue ut alphabetum omnino Atticum esse cognoscatur. Ac

---

[1]) Cf. C. I. A. n. 2, 4, 5.

Gamma et Lamda litterarum formae sunt Λ et L; O forma triplicem potestatem *ο*, *ω*, *ου* sonorum obtinet, eodem modo E ad designandas litteras *ε*, *η*, *ει* adhibetur, sed ut nonnumquam in ceteris titulis Atticis, ita hic quoque semel *ει* plene scriptum reperitur: vs. 1 in voce *εἰμὶ*, quamquam in superiore inscriptione Ionica usitata E*μι* scriptura comparet. Contra in vocibus *πρυτανεῖον* et Σ*ιγειῆς* sonus *ει* vera diphthongus est, e duobus elementis composita; scriptura *ἐπόεισεν* errore scalptoris pro *ἐποίησεν* incisa est. Porro *ξ* et *ψ* litterae fortuito quidem desunt, sed non est dubitandum, quin, si usurpandi locus fuisset, Atticae formae *χσ* et *φσ* comparerent. Ceterarum denique, litterarum notandae sunt formae ⊕, +, A vel A, prout exstat in versibus aut a sinistra aut a dextera proficiscentibus. Sibilans littera ≷ formam habet atque etiam in versibus sinistrorsum scriptis haec forma conspicitur; inferior litterae pars interdum rotundata est, ut Ƨ forma compareat. Phi litterae hasta deorsum producta est; sed haec forma Φ non ad noviciam illam Φ formam pertinet, quae post Ol. 80 in usum venit et Φ vetustum mox plane ejecit. Caninae litterae forma semel est P (vs. 2), ceterum P; *υ* bis est Y, semel V; nec tamen titulus diversis manibus est exaratus, cum formae P et V non ad propriam tituli partem pertineant, sed formis P et Y plane sint intermixtae. Koppa litteram illo tempore jam non in usu fuisse apparet ex vocibus *Φανοδίκου* et *Προκοννησίου*, quod idcirco commemoro, quia infra titulus tractandus erit, qui hanc litteram exhibet.

Jam de aetate ad quam monumentum Sigeense sit referendum pauca dicam. Kirchhoffius[1]) summa cum verisimilitudine indagavit confectum esse hoc monumentum temporibus Pisistratidarum, qua de causa certe ad sextum saec. pertinere. Quae sententia, quin vera sit, nemo est, qui dubitare possit; ego vero, si potero, ejus aetatem accuratius describam. Hunc enim titulum aliquanto vetustiorem esse, quam eos, quos adhuc tractavimus, jam supra memoratum est. Quodsi recte conjecturam feci illos titulos eo temporis spatio scriptos esse, quod interpositum est inter

[1]) Stud. z. Gesch. d. griech. Alph. p. 22 sq.

annos Ol. 62 et Ol. 68, facere non possum, quin hunc titulum ca. Ol. 60 exaratum esse coniciam. Ad quam opinionem solis palaeographicis causis adducor; historica argumenta non obstant, cum Sigeum eo tempore in Atheniensium potestate fuisse constet[1]).

Eidem fere aetati videtur esse tribuendus titulus C. I. A. n. 332, qui omnium publicorum sexti saec. titulorum solus ad nostra tempora pervenit. Repertus est a Fourmonto, cujus ex schedis Boeckhius eum edidit C. I. G. n. 27. Lapis ipse jam non exstat, qua re solo ex Fourmonti apographo de inscriptione potest existimari. Et quamquam etiam hoc exemplum, sicut pleraque cetera Fourmonti apographa, parum accurate et admodum negligenter exscriptum est, tamen genuini litterarum ductus adhuc possunt agnosci. Comparent formae illae vetustissimae: ⊕, M, N, E, A, S; spiritus asper casu deest, quare dijudicari non potest, utrum sit hic titulus Sigeensi monumento vetustior an aequalis. Scribendi ratio partim est bustrophica, partim ducti sunt versus a sinistra in dexteram. Primus versus sinistrorsum spectat; tum autem scalptor videtur incidisse in noviciam scripturam, quae a sinistra proficiscitur. Sic hoc titulo plane confirmatur, quod quidem supra monuimus, bustrophicam scripturam summa cum licentia a scalptoribus vel usurpatam esse, vel neglectam.

Ad hunc ordinem porro revocandi sunt tituli C. I. A. n. 468 et 469. Scripti quidem non sunt *βουστροφηδόν;* attamen propter plenam alphabeti paritatem prioribus titulis seriores esse non videntur. Reperiuntur formae ⊕, M, N, E; in n. 469 quidem litterae adeo sunt deletae, ut in *ϑ* littera, quae tantummodo vs. 3 exstat, crucis vestigia jam non possint perspici, sed propter eam antiquitatis speciem, quam omnes prae se ferunt litterae dubitari nequit, quin ⊕ forma olim incisa fuerit. Cum in utroque titulo usurpandi spiritus asperi casu non fuerit locus, incertum est, quod ad tempus hi tituli pertineant. Koppa littera etiam hic neglecta est, quamquam in 469 vs. 2 voce *κούρῃ* facultas erat oblata.

Jam considerare in animo habeo titulum quendam donarii, multas ob causas memorabilem: C. I. A. n. 355. Monumentum

---

[1]) Cf. Herodot. V, 65 et 94.

duobus continetur fragmentis, quae diversis temporibus diversis locis reperta sunt. Et quamquam utrumque fragmentum jam ante multos annos editum erat, tamen eorum consensum nemo animadvertit, donec Kirchhoffius[1]) primus conjecit et comprobavit utrumque fragmentum ad idem monumentum pertinere. In hoc igitur titulo unum valde est mirum et prorsus singulare. Koppa enim littera, quae in nullo alio titulo Attico adhuc reperto exstat, inter paucas istas litteras, quibus hic titulus continetur, ter comparet, ac bis quidem in inferiore versu, qui legitur:

—*κεν Διὸς γλαυϙώπιδι ϙούρῃ*

semel in superiore, cujus non plures quam duae hae litterae: **Oϙ** supersunt. Cum a dextero harum litterarum latere lapis litteris vacuus sit, Oϙ litteras initium versus fuisse apparet, qui a dextera in laevam scriptus erat. Itaque plenus titulus bustrophicam scripturam exhibuit, ac certe ita legendus est, quemadmodum Kirchhoffius eum restituit:

*ϙου[φαγόρας μ' ἀνέθη]κεν Διὸς γλαυϙώπιδι ϙούρῃ.*

Ac de usu, quem Koppa littera apud Athenienses habuisse videatur, dicenda haec sunt. Certe antiquissimis quidem temporibus Athenienses pariter ac ceteri Graeci Koppa littera constanter ac juste sunt usi, propterea quod forma ϙ iis satis nota erat, ac vel serioribus temporibus in inscribendis vasis fictilibus ab iis usurpabatur. Primo autem aspectu intelligitur hunc vasorum usum esse inconstantissimum causamque nullam habere, nisi licentiam scribentis. Cujus rei manifestum exemplum offert titulus C. I. G. n. 8155, in quo voces *Καλιϙόμη* et *Πυροκόμη* inscriptae sunt, quarum illa Koppa litteram haec autem Kappa exhibet. Etiam in ceteris vasis Koppa eadem ubique inconstantia tractatum est. Talis autem inconstantia omnino non est mira in vasorum inscriptionibus, quippe quas negligentissime et inaccuratissime scriptas esse constet.

Jam cum inter lapidum titulos praeter hunc, de quo agimus, nullus reperiatur, qui Koppa litteram exhibeat, dubitare licet, utrum etiam in hoc de quo agimus titulo, sicut in vasorum inscriptioni-

---

[1]) Stud. z. Gesch. d. griech. Alph. ed. 2, p. 70 not.

bus Koppa fortuito tantum et per licentiam scribentis usurpatum sit, an eo tempore, quo hic titulus exarabatur, constantem habuerit usum. Quamvis enim in hoc titulo Koppa litterae usus plane sit singularis, tamen cavendum est, ne praepropere ad licentiam scalptoris referatur, propterea quod inscriptionum lapidibus incisarum scripturam severioribus legibus adstrictam fuisse satis notum est. Quaeritur id potius, quae sit causa, cur in ceteris titulis Atticis Koppa non compareat, cognoscendum est, utrum tantummodo casu non reperiatur, an consilio sit omissum. Quo in genere dicendum est in ipsis iis titulis, quos omnium vetustissimos esse apparet forte fortuna nusquam usurpandi Koppa exstare facultatem. Ii autem tituli, qui locum afferunt, ita multo post sunt scripti, ut ex iis nihil aliud intelligatur nisi hoc recentiore tempore Koppa jam ex usu depulsum fuisse. Tria exempla omissi Koppa jam notavimus, duo in monumento Sigeensi, ubi in *Φανοδίκου* et *Προκοννησίου* vocibus Koppa non est usurpatum, unum in titulo C. I. A. n. 469, qui et ipse in *κούρη* voce Kappa pro Koppa exhibet. Praeterea autem tantummodo unus exstat titulus, in quo exarando scalptor ϙ forma uti semel poterat: de hoc quidem infra agendum erit. Quodsi in omnibus vetustissimis titulis Koppa fortuito tantum desideratur, nusquam oblata usurpandi occasione, jam ipsum titulum accuratius consideremus, num forte ille ipse talia praebeat vetustatis indicia, ut eo tempore Koppa litteram constante in usu fuisse conicere possimus. Sed etiam si ita quaerimus, rursus dolendum id est, quod hoc loco eae maxime litterae casu desunt, quarum formis atque specie certa de tituli aetate fieri posset conclusio. Eae quidem litterae, quae conspiciuntur, formis utuntur satis vetustis; nam quamquam id, quod habemus tituli exemplum typis expressum est, quibus genuinae litterarum formae valde corruptae sunt, tamen vel ex hoc inaccurato exemplo licet agnoscere, quales litterarum ductus lapis exhibuerit. Atque pro Ny litterae forma N, quam conspicimus, in lapide antiquissimam Ν formam comparuisse coniciendum est, cum N forma recentissima in titulo *βουστροφηδόν* scripto omnino non potuerit usurpari. Deinde notandae sunt formae Α, Ε, Σ et ipsae antiquissimae. Scriptura denique *βουστροφηδόν* est conversa, et hoc quoque cujusdam ve-

tustatis indicium est. Sed omnibus his rebus certi nihil potest indagari, cum eae ipsae litterae, quae solae facere possent momentum, i. e. ϑ littera et spiritus asper fortuito desiderentur. Maxime spiritum non reperiri dolemus: nam si hic compareret, atque antiqua 日 forma uteretur, dubitari non posset, quin hic titulus ad antiquissimorum numerum esset referendus.

At ita quoque, ut res se habet, si comprehenduntur omnia quae de hac re diximus, aliqua sum verisimilitudine contendi potest Koppa litterae integrum atque incorruptum usum in hoc titulo comparere. Primum enim titulus nullum exhibet recentioris aetatis indicium, sed cum scripturae ratio, quae est bustrophica, tum omnes litterae, quae adsunt, remotioris antiquitatis speciem prae se ferunt. Deinde repetendum est in lapidum titulis ubique certas scribendi leges perspici posse, quas in hoc titulo praetermissas esse ex vasorum inscriptionibus concludi omnino nequit. Denique etiamsi in hoc titulo incidendo a consueto usu discessum esset, ipsum illud mirum videretur, quod tam constanter contra usum traditum Koppa usurpatum, neo potius semel fortuito etiam Kappa immixtum esset. Quibus de causis pro certo habendum est in hoc titulo non per licentiam sed propter constantem ac firmam consuetudinem Koppa litteram exstare et maxime propter ipsum Koppa hunc titulum ad summam referendum esse vetustatem. Quo autem temporis spatio compositus sit, quandoque Koppa apud Athenienses in usu versari desierit, non poterit discerni, priusquam etiam alii tituli aut ipsum Koppa exhibentes, aut locum usurpandi offerentes reperti erunt.

Aptum videtur his rebus indagatis statim tertium eum titulum considerare, in quo, ut supra memorabatur, Koppa usurpandi facultas erat data. Invenitur C. I. A. n. 472. Prorsus singularis est hujus tituli scriptura, quae est mendosissima. Legitur enim sine ulla dubitatione:

*Σῆμα ̓τόδε Κύλων παιδοι*
*ἐπέϑηκεν ϑανοτοι μτημα*
*φιλημοσύνης . . .*

Quae menda ab ipso scalptore ac non ab iis, qui titulum exscripserunt, facta esse, satis probatur, cum non solum omnium,

qui exscripserunt apographa plane inter se consentiant, verum etiam Rossius[1]) de hac inscriptione memoraverit: „Die Inschrift, die ich wiederholt gesehen und abgeschrieben habe, ist vollkommen leserlich.“ Emendationum quas homines docti proposuerunt, ea quae auctorem habet Kirchhoffium maxime videtur esse probabilis. Hic enim ita emendat:

„*Ϟῆμα τόδε Κύλων παίδοιν* | *ἐπέθηκεν θανόντοιν*
„*μνῆμα* | *φιλημοσύνης* . . .“

Hic titulus alicujus momenti est, quia nomen prae se fert Cylonis, quod statim unicuique illius Cylonis memoriam attulerit, qui Ol. 42, 1 imperium occupare conatus est. Quodsi comprobari posset hunc titulum ad illum Cylonem referendum esse, hoc summi esset momenti, cum hoc modo liceret intelligere, quale fuerit alphabetum Atticum extremo septimo saeculo. Itaque quaerenda sunt argumenta, quibus monumentum ad Cylonem tyrannum pertinere aut probetur aut refellatur. Ac Cylonem tyrannum intelligendum esse haud alienum videatur cuipiam, propterea quod nomen Cylonis apud Athenienses rarissimum usum habuit: praeter hunc, qui dicitur, neque ex historia neque ex inscriptionibus ullum Atheniensem hoc nomine praeditum fuisse accepimus. Deinde universa scripturae ratio multa offert, quae et ipsa ad Cylonis illius tempora referri possunt. Interpunctio comparet antiquissima, cum singula verba duobus punctis constantissime separata sint. Quod non *βουστροφηδόν* scriptum est, huic opinioni nullo modo potest obstare. Singulae denique litterae et ipsae vetustissimam speciem prae se ferunt, cum formae ⊕, Μ, Ν, Ξ etc. constanter incisae compareant. Uno autem argumento haec omnis opinio improbatur, atque hoc mihi quidem videtur solum facere momentum: in *Κύλων* voce non Koppa sed Kappa littera usurpata est. Sin autem hic titulus septimo saeculo esset exaratus, *υ* litterae Koppa necessario praescriptum compareret. Illo enim tempore etiam apud Athenienses Koppa litteram pleno in usu fuisse, facere non possumus, quin pro certo habeamus. Namque vel in Ionico alphabeto, quod omnium ceterorum alphabetorum Graecorum longe maturissime ad

---

[1]) Archäol. Aufsätze I, p. 214 not. 15.

singularum litterarum speciem simplicissimam et stabilissimam pervenisse constat, septimo saeculo Koppa littera firmum habuit usum, cum tituli illi mercenariorum, qui eadem fere aetate incisi sunt, qua Cylon Athenis vigebat, ubicunque occasio erat oblata, hanc litteram exhibeant[1]). Quam ob rem equidem puto hunc, quem tractavimus, titulum ad posteriorem quendam Cylonem esse referendum et eadem fere aetate compositum esse, qua titulus Sigeensis exarabatur, quem et ipsum jam Kappa pro antiquo Koppa praebere supra memoratum est.

### *IV. De ea aetate, qua spiritus asperi antiqua* B *forma in usu erat.*

Primum consideremus titulos n. 470 et 471, qui eodem loco reperti, alphabeto adeo aequali utuntur, ut dubitari non possit, quin ambo si non eadem manu certe eodem tempore sint exarati. Nimirum in altero tantum titulo (471) spiritus usurpandi locus erat; sed etiam alterum ad eandem aetatem revocandum esse apparet. Primum enim num. 470 antiquum ⊕ constanter exhibet, deinde singulae utriusque tituli litterae, si inter se comparantur, summam similitudinem praebent. Imprimis caninae litterae in neutro titulo hasta est producta, ita ut rara illa D forma effecta sit. Deinde omnis litteratura cujusdam negligentiae speciem prae se fert, quod maxime litterarum $\alpha$, $\mu$, $\nu$ formis perspicitur. Attamen non pro certo contenderim utrumque titulum eadem manu esse incisum, cum litterae $\chi$ et $\sigma$ in altero X et ϟ, in altero + et ≷ formas exhibeant. Memorandum est in titulo n. 471, ubi antiquum B quater comparet, $\epsilon$ litterae hastam excepto uno exemplo non productam esse, qua re intelligitur jam ante medium sextum saeculum '$\epsilon$ litterae mediam formam praeter antiquissimum ⱻ in usu versari coepisse. Contra in n. 470 haec recentior forma E semel tantum conspicitur.

Transeo ad tractandos titulos n. 466 et 467, qui omnium Atticarum inscriptionum soli antiquissima illa scriptura sinistrorsum

[1]) Cf. Kirchhoff: Stud. z. Gesch. d. griech. Alph. p. 32, num. 1, v. 5; p. 33 num. 5.

spectante utuntur; et num. 467 quidem prorsus ita scriptus est, n. 466, qui duobus continetur fragmentis, tantummodo in ea particula, quae inscripta est: „Ἀριστίων μ' ἐπόησεν“ hanc exhibet scripturam; contra ipse titulus sepulcralis nec sinistrorsum nec *βουστροφηδόν*, sed a laeva in dexteram scriptus est. Nihilominus ambo fragmenta ad idem monumentum pertinere apparet, propterea quod aperte eadem manu sunt exarata. In utroque enim fragmento conspicitur singularis illa caninae litterae D forma; praeterea ceterae quoque utriusque fragmenti litterae plane iisdem formis utuntur. Quodsi ejusdem tituli altera pars dextrorsum, altera sinistrorsum conversa est hanc scripturam in sinistram spectantem per scribentis licentiam comparere elucet. Itaque etiam alterum illum titulum (n. 467) casu fortasse magis quam propter firmam stabilemque consuetudinem ita scriptum esse opinari possumus. Certe autem ii tituli qui hanc scripturam praebent, idcirco vetustissimi sunt habendi, et manifesto ad ea tempora pertinent, quibus haec antiquissima scribendi ratio nondum plane ex hominum memoria exstincta erat. Singularum litterarum formae et ipsae sunt vetustissimae. Comparent formae illae: ⊕, Ϻ, Ͷ, ⅀ etc.; spiritus asper fortuito desideratur. In n. 467 singularis reperitur ϑ litterae forma ⊗, quam in nostro exemplo non propter incuriam sive ejus qui exscripsit titulum, sive ejus qui in lignum incidit, conspici ipse possum confirmare, cum in ectypo gypseo, quod Berolini est in museo regio, hanc obliquam formam ipse aperte viderim. Itaque ⊗ formam, quae in nullo alio titulo Attico adhuc reperitur, hoc loco casu quodam exstare ego quidem conjecerim, praesertim cum universus titulus mirum in modum curvis atque intortis lineis scriptus sit.

Jam consideremus reliquos hujus ordinis titulos C. I. A. n. 463 et 465. Uterque *βουστροφηδόν* est scriptus, uterque non solum ⊕ verum etiam spiritus asperi formam antiquissimam ⊟ exhibet, utriusque omnis litteratura summae antiquitatis speciem prae se fert. Imprimis hoc de n. 463 dicendum est, qui summa cum diligentia incisus, singularum litterarum tam aperte ubique vetustissimas formas praebet, ut de nullius litterae forma dubitari possit, utrum vetustior an recentior sit habenda. Sed n. 465 videtur esse

paulo recentior quam n. 463, cum pro antiquissimo Ǝ, quod ter usurpatum est, ter media illa Ɛ forma compareat. Sic hic titulus pariter ac n. 471 una cum antiquissimo ⊟ medium illud Ɛ exhibet.

Jam, cui temporis spatio hi, quos nunc tractavimus, tituli tribuendi sint, accuratius est describendum. Cum in monumento Sigeensi, quod ca. Ol. 60 confectum esse indagavimus, spiritus asperi jam novicia H forma conspiciatur, eos titulos, in quibus antiquum ⊟ reperiatur, ante medium sextum saeculum exaratos esse supra statuimus. Quodsi tanta horum titulorum multitudo nobis conservata est, ut omnes eodem temporis puncto compositos esse non possimus opinari, praesertim cum alii litterae ε solam vetustissimam, alii praeterea mediam formam exhibeant, nos quidem non in errore videmur nobis versari, si has ob causas nonnullas harum inscriptionum Solonis temporibus, alias vel extremis septimi saeculi decenniis scriptas esse coniciamus.

---

# PARS ALTERA.

## De Endoeo et Aristocle statuariis.

Consideravimus adhuc omnes titulos Atticos, qui ante pugnae Salaminiae annum exarati sunt, tractavimus et notavimus omnes mutationes, quas alphabetum Atticum inde a vetustissimis temporibus usque ad illam aetatem percucurrit, descripsimus secundum has ipsas mutationes, quantum potuimus unius cujusque tituli aetatem, conclusimus et pro certo cognovimus hos titulos intra totius sexti saeculi spatium compositos esse, nonnullos autem ad septimi saeculi posteriorem partem pertinere non sine causa conjecimus. Quoniam igitur hoc modo vetustissimam alphabeti Attici historiam clare et dilucide perspicimus, jam non potest esse difficile, ea tempora accuratius definire, ad quae tituli illi, qui Endoeum et Aristoclem auctores profitentur, intra universum illud

spatium revocandi sint. Sed priusquam ex istorum titulorum litteratura talem conclusionem faciamus, antea exponendum est, quas de Endoei et Aristoclis aetate conjecturas hodierno tempore fecerint viri docti.

### *I. De Endoeo artifice.*

Brunnii opinionem jam supra breviter denotavimus. Judicat Endoeum ca. Ol. 70 floruisse, ad quam sententiam adducitur imprimis nixus ipsa illa Endoei inscriptione, cujus litteraturam ad initium quinti saeculi pertinere existimat[1]). Qua conjectura facta Brunnius eorum, quae a veteribus scriptoribus de Endoeo ejusque operibus tradita sunt, mentionem facit maximeque commemorat Minervae quoddam simulacrum, de quo Pausanias[2]) haec tradit: *„Ἐνδοίου καθήμενόν ἐστιν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἐπίγραμμα ἔχον, ὡς Καλλίας μὲν ἀναθείη, ποιήσειε δὲ Ἔνδοιος.“* Callias igitur quidam simulacrum illud ab Endoeo confectum dicitur donarium dedicasse. Quis est hic Callias? Herodotus imprimis duorum hominum hoc nomine praeditorum meminit, quorum alterum[3]) temporibus Pisistrati, alterum[4]) illius nepotem, cui cognomen fuerit *„λακκόπλουτος“* ante medium quintum saeculum floruisse. Brunnius igitur, cum Endoeum ca. Ol. 70 vixisse opinetur, a Callia minore natu donarium illud dedicatum esse contendit. Ante Brunnium jam Schöllius[5]) inscriptionem illam Endoei inter Ol. 50 et 75 compositam esse judicaverat. Sed a Schöllio duos statuarios fuisse probatur, quorum utrique nomen fuerit Endoeo, et alterius quidem, qui temporibus Calliae illius majoris floruerit, Pausaniam meminisse; alterum autem ca. Ol. 70 demum vixisse, et ab hoc titulum illum esse exaratum. Alii autem, maxime Stephani[6]) et praeter eum Rossius et Welckerus inter se consentientes hanc sententiam probaverunt Endoeum ca. Ol. 55 media fere aetate fuisse. Similem opinionem etiam post

---

[1]) Gesch. der griech. Künstler I, p. 100 seqq.
[2]) I, 26, 4. [3]) Herodot. VI, 21.
[4]) Herodot. VII, 151; Plut. Arist. 5 et 25.
[5]) Archäol. Mittheilungen aus Griechenland p. 41 seqq.
[6]) Rhein. Mus. IV. N. F. p. 2

Brunnium et Schöllium nonnulli obtinuerunt, inter quos maxime nomino Overbeckium[1]), Urlichs[2]), Bursianum[3]).

Omnium in unum congruerunt sententiae Endoei aetatem ad annos Oll. 50—60 vel ad Oll. 55—65 revocandam esse, nullo autem pacto eum initio quinti saeculi posse media aetate fuisse, partim quod inscriptio illa multo remotioris antiquitatis speciem prae se ferat, partim quod traditum sit a Pausania et Athenagora Endoeum etiam ex ligno simulacra exsculpsisse. Attamen Brunnius, quamquam tot argumenta ei obicebantur, non solum in sententia sua perseveravit, verum etiam nuper denuo eam defendit in disputatione quae inscribitur: „Die Kunst bei Homer u. ihr Verh. z. d. Anfängen der griech. Kunstgeschichte"[4]), ubi comprobare studet, ea, quae de Endoeo tradita sint, ad Ol. 70 et ad ejus Calliae aetatem, cui cognomen erat *λακκόπλουτος*, eodem jure referri posse atque ad Ol. 55 et ad alterum illum Calliam. Sibi solum momentum facere titulum illum cujus litteraturam Rangabé ad Ol. 70 pertinere statuerit. Hac Brunnii constantia factum est, ut homines docti aut plane ad ejus sententiam transierint, aut totam quaestionem in summo dubio esse concesserint. Sic Overbeckius in altera[5]) libri sui editione jam non ut antea Endoeum ad Ol. 55 refert, sed utramque conjecturam fieri posse dicit, cum nimis incerta sint ea, quae tradita acceperimus.

Jam igitur ipsum titulum illum qui Endoeum auctorem profitetur consideremus. Reperitur C. I. A. n. 477 atque id exemplum, quod ibi exstat, satis accurate factum esse confirmare possum, cum chartaceum tituli ectypon, quod inspicere Kirchhoffius liberaliter mihi concessit, plane cum illo exemplo consentiat. Scriptura tituli non est bustrophica, sed ut in multis antiquissimis, in omnibus recentioribus inscriptionibus dextrorsum conversa. Singularum deinde litterarum *ϑ* utitur vetustiore ⊕ forma; ergo *α* litterae linea obliqua est, ut in omnibus titulis, qui ⊕ formam exhibent;

---

[1]) Overbeck: Gesch. der griech. Plastik (1857) I[1] p. 111 et p. 184 not. 42.
[2]) Urlichs: Scopas Leben u. Werke p. 246.
[3]) Bursian: Realencycl. v. Ersch u. Gruber. Sect. I, tom. 82, p. 404.
[4]) v. Actt. acad. Bavar., cl. philol. philos. 1868, tom. XI, pars III, p. 44 sqq.
[5]) I, p. 114 et p. 205 not. 57.

ε litterae constanter media illa forma Ε comparet, quae transversas quidem lineas obliquas, hastam autem jam non productam habet. Hanc formam jam in vetustissimis illis titulis, qui spiritus asperi antiqua Β forma utuntur, reperiri supra vidimus. Ipse spiritus asper in hoc titulo fortuito deest, sed illo temporis spatio spiritum jam H formam habuisse conicere possumus, cum in usu ν litterae inconstantiam illam conspiciamus, quae extremo sexto saeculo vulgaris erat. Usurpatae enim sunt promiscue formae Ν et Ν, atque hoc indicium tanti est momenti, ut ex eo solo, quamquam μ littera casu desideratur, de aetate tituli conjectura satis certa fieri possit. Revocandus enim est ad eorum titulorum ordinem, quem ad annos Ol. 62—68 pertinere supra conjecimus. Certe igitur hic, quem tractamus, titulus quinto saeculo anterior est; potest autem compositus esse jam ca. annum 530 a. Chr. Eodem modo ponere licet Endoeum aut ineunte, aut prope acta jam aetate hunc titulum exaravisse. Quodsi inscriptionem quidem ca. Ol. 62, quo tempore vetustior vix potest haberi, exaratam esse, Endoeum autem eo tempore jam senem fuisse conicimus, apparet eum inter Ol. 53 fere et Ol. 63 floruisse, et monumentum illud a Callia dedicatum ad Calliam majorem natu pertinere. Sin autem titulum de quo agimus ca. Ol. 68 demum atque ab Endoeo juvene incisum esse volumus, aetatem ejus annis Ol. 67—77 fortasse contineri non potest negari. Certiorem et accuratiorem conjecturam solo ex titulo fieri non posse valde dolendum est. Sed ob alias causas nos quidem pro certo habemus Endoeum potius ad medium sextum saeculum quam ad quinti saeculi initium referendum esse. Id enim elucet ex iis titulis qui Aristoclis statuarii nomen prae se ferunt, quam ob rem nunc ad haec monumenta tractanda transeamus.

## *II. De Aristocle artifice.*

Si Endoei aetatem homines docti non omnes ad quintum saeculum retulerunt, sed nonnulli eum medio sexto saeculo floruisse opinati sunt, Aristoclem statuarium prope omnes consentiunt quinto saeculo esse tribuendum. De Endoeo enim certae res a Pausania traditae sunt. Primum fertur Daedali discipulus fuisse, eumque

in Cretam secutus esse[1]), qua re perspicitur Pausaniae temporibus eum ad remotissimam antiquitatem fuisse relatum; deinde autem ipse Pausanias simulacra lignea ab illo confecta se vidisse perhibet[2]). De Aristocle autem nihil ejusmodi a veteribus scriptoribus accepimus, quam ob rem in ejus aetate definienda solis ex iis quae nobis exstant monumentis ab eo factis fieri potest conclusio. De aetate horum monumentorum, quae jam supra nominavi, quaeque inveniuntur C. I. A. n. 344 et n. 464 haec maxime a viris doctis judicata sunt.

Schöllius[3]) ad antiquitatem quam maximam Aristoclem referre sibi videtur, cum eum ca. Ol. 70 in flore aetatis fuisse opinetur. Brunnius[4]) autem auctore Boeckhio, qui titulos illos intra annos Ol. 75—85 exaratos esse contenderat, Aristoclem ca. Ol. 80 vixisse existimat. Haec Brunnii opinio pariter atque illa quam de Endoei aetate statuerat, a multis in dubium vocata et varie emendata est. Ac primum Bursianus[5]) annos Ol. 70—75 Aristoclis aetatem esse arbitratur. Deinde Overbeckius in prima libri sui editione[6]) ambo Aristoclis opera ca. Ol. 60 confecta esse conjecturam facit, sed altera editione[7]) ut Endoeum, ita etiam Aristoclem ad seriora refert tempora, et hunc quidem inde ab Ol. 70 floruisse judicat. Denique Friedrichs[8]) pilam Aristionis intra annos Ol. 70—80 censet esse confectam. Sic omnes Aristoclis opera non ante Ol. 70 composita esse consentiunt; solus Overbeck in prima editione remotiorem vetustatem voluerat, sed postea eum hanc opinionem remisisse vidimus. Ac Brunnio vero etiam post Ol. 80 Aristoclem vixisse satis videtur probabile.

Jam prius videtur esse agendum de titulo illo donarii, qui repertus est in ecclesia Hieraca vici, quemque primus edidit

---

1) Paus. I, 26, 4.

2) Paus. VII, 5, 9.

3) Archäol. Mittheilungen aus Griechenland p. 47.

4) Gesch. der griech. Künstler I, p. 106.

5) Fleckeisen: Jahrbücher tom. 73, p. 514 et Realencyclop. etc. Sect. I, tom. 82, p. 404.

6) Gesch. der griech. Plastik I[1], p. 98.

7) l. c. I[2] p. 139; cf. p. 115.

8) Bausteine zur Geschichte der griechisch-römischen Plastik I, p. 28.

Boeckhius[1]) e Fourmonti apographo quodam inaccuratissimo. Id autem exemplum, quod Kirchhoffius in C. I. A. n. 344 e delineatione Rossii prodit, multo majorem habet fidem; sed ne hoc quidem plane accuratum esse hodie constat. Lapis enim ipse, qui nostris diebus jam non exstare putabatur, nuperrime a Lollingio denuo est repertus: „auf einem Schutthaufen hinter dem Klostergute des Dorfes Hieraca.“ Lollingius statim ad Kirchhoffium rem detulit, eique apographum et duo ectypa misit, quorum alterum inspicere et exscribere Kirchhoffius mihi summa cum liberalitate permisit. Hoc apographum a me factum, quod satis accuratum esse Kirchhoffius confirmavit, cum nonnullis locis a Rossii exemplo diversum sit, propter gravissimam hujus tituli auctoritatem hoc loco videtur esse edendum:



Legitur: ἀνέθηκ[εν | Ἀ]ριστοκλῆς ἐπό|ησεν.

Quod exemplum si cum illo, quod in Corpore Inscr. Att. exstat, comparamus, primum elucet lapidem, posteaquam Rossius eum exscripsit, etiam magis esse mutilatum, cum a sinistra desit superior margo. Tum ϑ litterae crux non est obliqua, sed conspicitur consueta illa ⊕ forma. Caninae autem litterae comparet P forma pro R. Denique artificis inscriptio litteris aliquanto minoribus scripta est, quam ipse titulus de quo supersunt litterae: ἀνεϑηκ . .

De singulis hujus tituli litteris dicenda haec sunt. Scriptus est βουστροφηδόν, quam scripturam, ubicunque usurpata est, semper cujusdam vetustatis indicium esse saepius memoravimus. Omnium deinde litterarum formae ad eandem adducunt conjecturam. ϑ est

[1]) C. I. G. I n. 23.

⊕; nasalis littera constanter antiquissima N forma utitur; *ε* ter manifesto mediam E formam praebet in voce *ἐπόησεν;* utra forma in superiore versu fuerit, accurate jam non potest agnosci, videtur semel media, semel antiqua forma scripta fuisse. Et cum etiam in voce *Ἀριστοκλῆς* E conspiciatur, in universo titulo quater medium E, bis antiquum E incisum fuisse mihi quidem videtur. Denique *σ* est ϟ; *α* litterae lineam obliquam esse elucet, nullius usquam litterae conspicitur talis forma, quae ad seriorem aetatem pertineat; comparet prorsus id alphabetum, quod medio sexto saeculo usitatum erat, qua de causa hic titulus vix potest esse recentior, quam monumentum Sigeense, quod ca. Ol. 60 confectum esse aliqua cum verisimilitudine indagavimus. Facile autem illo monumento vetustior esse potest, cum eaedem litterarum formae, quae hic usurpatae sunt, etiam initio sexti saeculi in usu fuerint. Spiritus asper, cujus forma aut novicia, aut antiqua dijudicari posset, utrum hoc monumentum Sigeensi illi aequale sit, an vetustius, fortuito deest, quam ob rem, ne nimis audacem conjecturam faciamus, hunc titulum medio fere sexto saeculo aut paulo postea exaratum esse opinamur.

Alterum monumentum, quod Aristoclis statuarii nomen exhibet, est pila illa, quae in sepulcro Aristionis cujusdam posita fuisse videtur (v. C. I. A. n. 464). Legitur in basi sola vox: *Ἀριστίωνος,* in ipsa pila pedibus anaglyphi subscripta sunt verba: *ἔργον Ἀριστοκλέους.* Cujus anaglyphi in museo regio Berolinensi ectypon est gypseum, quod saepius inspexi, cujusque inscriptionem cum eo exemplo, quod est in Corpore Inscr. Att., plane consentire ipse possum confirmare. Litterarum formis, quae in his duabus inscriptionibus conspiciuntur, quamquam speciem satis antiquam prae se ferunt, tamen hoc monumentum aliquanto post alterum illud confectum esse ab Aristocle, facile comprobatur. Primum scriptura non est bustrophica, ita ut hic titulus non, ut ille, ante certum temporis punctum scriptus esse debeat. Summi autem momenti nasalis litterae forma est, cum ea, quae in basi legitur vox *Ἀριστίωνος,* antiquam N formam exhibeat, in voce autem *ἔργον,* id quod in ectypo gypseo clarissime agnoscitur, recentior N forma compareat, qua re perspicitur hunc titulum eo temporis spatio esse

exaratum, quo duae illae formae promiscue usurpabantur. Solum propter hoc indicium, quod est gravissimum, summa cum fiducia pila Aristionis tribui potest spatio illi Ol. 62—68, quod supra descripsimus. Nam quamquam ϑ litterae scribendae locus non fuit, tamen hanc columnam certe ante Ol. 68, quo fere tempore novicia Θ forma in usum venit, positam esse contendendum est, cum alterum illud Aristoclis opus tam vetusto tempore confectum esse viderimus. Ceterarum litterarum formis haec conjectura plane confirmatur; comparent illae A, E, ϟ formae, neque usquam indicium quoddam serioris aetatis reperitur. Quodsi alterum illum titulum ca. Ol. 58—60 exaratum esse verisimile est, facile intelligitur hoc monumentum anno Ol. 64 vix recentius esse posse. Haec opinio aptissime cum omni hujus tituli litteratura consentit, cum jam ab Ol. 62 fere nasalis litterae formae inconstantem illum usum praebere coeperint, quem in hac inscriptione cognovimus. Itaque ut Aristoclis aetas quam accuratissime circumscribatur, equidem eum ca. Ol. 55 — 65 floruisse contenderim. Quae conjectura multo certior et accuratior est, quam illa, quae de Endoei aetate ex titulo illo deduci poterat. Aristoclis enim duo exstant monumenta, quae cum diversis temporibus confecta sint, ad certum, quo ille vixerit, temporis spatium pertinent. Cum autem Endoei operum tantummodo unum illum titulum habeamus, negare supra non potuimus, si ex hoc titulo solo conjectura fieri deberet, Endoeum et Ol. 53 — 63, et Ol. 67 — 77, et omni denique tempore inter annos Ol. 53 — 77 interposito, velut Ol. 60 — 70, posse floruisse. Nunc autem, cum Aristoclem ca. Ol. 55 — 65 floruisse appareat, jam non dubitamus, etiam Endoei aetatem ad Ol. 55 — 65 revocare, ita ut Aristocli aequalis fuerit. Ac prorsus quidem comprobari hoc non potest; sed cum adhuc omnes consenserint, Aristoclem Endoeo posterius vixisse, sane cum Aristocle etiam ille ad sextum saeculum est referendus. Ex hac re, si recte perspecta est, de tituli illius aetate hoc efficitur eum ad annos fere Ol. 62 — 65 pertinere et ab Endoeo prope jam peracta aetate exaratum esse.

---

*III. De aliis quibusdam monumentis Graecis vetustioribus.*

Cognita Aristoclis aetate non modo de Endoeo, verum etiam de plerisque ceteris monumentis Graecis antiquioribus certae conclusiones efficiuntur. Imprimis hoc dicendum est de statuis illis, quibus fastigium templi Aeginetici ornatum erat. Haec enim monumenta cum alias ob causas, tum idcirco post Persica demum bella confecta esse adhuc putabantur, quia pilam illam Aristoclis quam Aegineticis statuis paulo vetustiorem esse apparet, vix ante bella Persica positam esse posse plerique censebant. Quod quidem planissime explicavit Friedrichs[1]). Cum autem Aristionis columna non aetate bellorum Persicorum, sed longe ante quinti saeculi nitium (ca. Ol. 62—64) confecta sit, causa jam nulla est, cur Aegineticas statuas tam sero compositas esse coniciamus, ac nihil obstat, quin et illae ad extremum sextum saec. referantur, quod ad tempus propter totam indolem suam ac speciem multo aptius pertinere videntur. Idem etiam de Atticis monumentis antiquissimis judicandum est. Imprimis nomino simulacrum illud Minervae, quod, cum in arce repertum sit, etiam multas alias ob causas nonnulli idem illud esse putant, quod ab Endoeo factum et a Callia donatum esse tradidit Pausanias. Sic Overbeckius[2]) et Brunnius[3]) non sine verisimilitudine hoc monumentum ad Endoeum referri posse existimant; Stephani[4]) non ipsum illud monumentum sed exemplar ejus nobis exstare censet, Schöllius[5]) hoc simulacrum propter recentiorem, quam exhibeat speciem post Ol. 70 demum confectum esse judicat, qua de causa diversum esse ab eo quod Pausanias viderit neque ab Endoeo illo majore originem ducere potuisse. Utcunque res se habet, sive ab Endoeo factum est, sive ab alio quodam statuario, certe pilae Aristionis aequale fere est habendum, ita ut Endoeum auctorem esse non sine causa conici possit. Denique hoc

---

[1]) Bausteine I, p. 58 et 59; cf. etiam Overbeck: l. c. I², p. 132; Schöll: Arch. Mitth. p. 42 seqq.; Bursian: Realencycl. l. c. p. 400 not. 50.

[2]) l. c. I², p. 114.

[3]) Gesch. d. griech. Künstler I, p. 98 et 101.

[4]) Rhein. Mus. IV, N. F. p. 1.

[5]) l. c. p. 42.

loco deae illius, quae inscendit in currum, imaginem commemoro, cujus omni natura atque indole clare perspicitur et ipsam columna Aristionis non esse seriorem[1]).

Possum enumerare praeter haec de quibus egi multa alia monumenta, quae pariter ac pila Aristoclis adhuc ad aetatem nimis seram referebantur, sed hoc loco ista, quae nominavi exempla sufficient. Certe id unum spero fore ut perspicue cognoscatur artem effingendi apud Graecos admodum mature floruisse, et jam sexto saeculo ad perfectionem haud exiguam pervenisse. Cujus rei postremo duo attulerim exempla. Primum e fragmentis illis pilae cujusdam sepulcralis, quae nuperrime e muro Themistocleo haud procul a titulo illo, quem supra tractavi, effossa et ab Ernesto Curtio[2]) edita sunt, aperte elucet, quam perfecte atque ornate jam sexto saeculo os ac vultus certorum hominum ab artificibus Graecis effictae sint. Maxime autem idem probatur tanta illa titulorum multitudine, quos aliqua ex parte usque ad Solonis tempora pertinere demonstravimus. Atque ex hoc numero illius tituli mentionem fecerim, qui reperitur C. I. A. n. 463, quique certe ineunti sexto fortasse vel extremo septimo saeculo est tribuendus. Hoc monumentum, cujus in basi titulus ille inscriptus est, pariter ac pilam Aristionis, in sepulcro militis cujusdam positum fuisse apparet, ac certe Aristioni hoplitae similis in eo conspiciebatur effigies. Legitur enim in basi:

*Εἴτ' ἀστός τις ἀνὴρ, εἴτε ξένος ἄλοθεν ἐλθών,*
*Τέτιχον οἰκτίρας, ἄνδρ' ἀγαθὸν, παρίτω,*
*Ἐν πολέμῳ φθίμενον, νεαρὰν ἥβην ὀλέσαντα*
*Ταῦτ' ἀποδυράμενοι νεῖσθ' ἐπὶ πρᾶγμ' ἀγαθόν.*

---

1) Cf. Overbeck: l. c. $I^2$, p. 143; Schöll: l. c. p. 48 seqq.

2) Actt. acad. reg. Berol. 1873 p. 156 seqq.

# PARS TERTIA.

## Inscriptiones post Ol. 75, 1 exaratae.

In historia alphabeti Attici scribenda summi prae ceteris momenti eos titulos esse apparet, qui ante eam aetatem compositi sunt, qua singularum litterarum formae ad speciem quandam firmiorem ac stabiliorem pervenerunt. Et quamvis haec stabilitas ea aetate, ad quam alphabeti historiam perduximus, nondum plane perfecta fuerit, cum, ut videbimus, ipsa hac aetate et paulo postea nonnullarum litterarum formae usum omnino inconstantem habuerint, tamen hae mutationes, quae inde ab illo tempore usque ad Euclidis annum sunt factae, si cum vetustiorum temporum mutationibus conferantur, adeo paucae et minoris momenti sunt, ut liceat breviter tantum eas attingere. Praeterea numerus eorum, qui ex hoc tempore exstant titulorum tantus est, ut singulos considerare omnino non opus sit, praesertim cum plerique plane idem alphabetum exhibeant. Itaque ex hac tanta multitudine de iis tantum titulis agendum erit, in quibus proprietates atque mutationes alphabeti commodissime compareant, quorumque aetas certioribus argumentis possit circumscribi.

Cum eorum, quos supra tractavimus titulorum recentissimos ante Ol. 70 vel Ol. 75 scriptos esse viderimus, jam hoc loco primum de iis agendum erit, qui temporibus proxime post annum Ol. 75, 1 insequentibus videntur esse exarati. Quodsi ita quaerimus, valde memorabile maximeque dolendum est ejusmodi titulos omnino fere desiderari, cum non modo eorum, qui inter annos Ol. 70—75, verum etiam eorum, qui inde ab Ol. 75—80 compositi sunt, paucissimi exstent, ita ut de alphabeti mutationibus, quae omni illo tempore (Ol. 70—80) factae sunt, certi nihil fere dici possit. Priusquam autem ad singulos titulos tractandos accedamus, duae res de omni hac aetate antea monendae sunt. Primum universam scribendi rationem ad perfectiorem gradum pervenisse vi-

demus: sunt enim omnes tituli paucis exceptis *στοιχηδόν* scripti, cujus scripturae in iis titulis, quos adhuc tractavimus, nulla nobis occurrerunt vestigia. Quo tempore haec scriptura in usum venerit, aliquo modo potest intelligi. Habemus enim complures titulos ca. Ol. 79—80 exaratos, qui aperte jam *στοιχηδόν* sunt scripti, et cum duo nobis exstent tituli[1]), qui cum propter vetustiorem litterarum speciem, tum, quia hac recentiore scriptura carent, ca. Ol. 76 videntur esse exarati, non sine verisimilitudine conicere possumus, hoc tempore stoechicam, ut ita dicam, scripturam nondum vulgarem habuisse usum, annis autem proxime insequentibus eam magis magisque increbruisse, ita ut ca. Ol. 79—80 jam vulgo usitata fuerit. Et postquam aliquando haec *στοιχηδόν* scribendi consuetudo tanquam ad principatum pervenit, postero tempore admodum raro ab ea discessum est. Quantum enim ego videre possum tantummodo tituli C. I. A. n. 41, 138, 188, 282, 321, 325, qui omnes ca. Ol. 90—94 incisi sunt, hac scriptura abstinent. Etiam tituli C. I. A. n. 9 litterae non *στοιχηδόν* sunt dispositae; hic quidem titulus propter ϟ formam ad tempora anno Ol. 83,3 anteriora revocandus esse videtur, sed quoniam id, quod in Corpore Inscr. Att. habemus, exemplum omni fide caret, liceat eum plane praetermittere.

Deinde omnes tituli ab Ol. 75 — Ol. 94, 3 exarati in duas classes sunt distribuendi. Constat enim sibilantis litterae antiquiorem formam ϟ certo anno in publico usu versari desiisse et noviciam Σ formam, quae jam antea usum haud exiguum acceperat, inde ab eo anno solam constanter usurpatam fuisse. Quod quidem apparet e catalogis illis (C. I. A. n. 226 seqq.), in quibus inscripta est sexagesima eorum tributorum, quae a civitatibus societatis Deliae Atheniensibus quotannis solvebantur. Hos igitur catalogos inde ab Ol. 81, 3 promulgari coeptos esse nuper a viris doctis cognitum et comprobatum est, quam ob rem, cum singuli ad certos annos referri possint, facile licet perspicere, quo anno Σ forma pro ϟ constantem in usum venerit. Et quoniam prioribus annis modo ϟ modo Σ comparet, a nono autem anno (i. e.

---

[1]) C. I. A. n. 5 et 333.

Ol. 83, 3) ϟ forma jam non invenitur, aperte hoc anno Σ vulgarem usum accepit. Hanc mutationem re vera Ol. 83, 3 (et non Ol. 86, 1, quod Boeckhio visum est) factam esse, nuper Koehlerus clarissime ostendit[1]), et Kirchhoffius in edendo Corpore Inscr. Att. plane eum secutus est. Itaque omnis, quae jam restat, materia ita est disponenda, ut prius agatur de iis titulis, qui ante Ol. 83, 3, deinde de iis, qui post Ol. 83, 3 scripti sunt.

### *I. De titulis ante Ol. 83, 3 exaratis.*

Quemadmodum supra ab inscriptionibus in muro repertis profecti sumus, ut omnis disputatio nostra quasi fundamentum certum haberet, sic etiam nunc a tali titulo ordiendum est, cujus aetas quam accuratissime possit definiri. Ejusmodi titulus reperitur C. I. A. n. 433, in quo leguntur nomina omnium tribulium Erechtheidis, qui uno anno diversis locis in bello interfecti erant. Praescriptum enim est: *„Ἐρεχθηΐδος οἵδε ἐν πολέμῳ ἀπέθανον ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν Φοινίκῃ, ἐν Ἀλεεῦσιν, ἐν Αἰγίνῃ Μεγαροῖ τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ.“* Istum autem annum esse Ol. 79, 4—80, 1 satis notum est, quam ob rem hunc titulum Ol. 80, 1—2 exaratum esse summa cum fiducia contendi potest.

Alphabetum igitur has exhibet proprietates. Primum *ε* litterae sine ulla exceptione recentissimam E formam scriptam reperimus; nusquam conspicitur media E forma, vel antiquissimum Ɇ, quare ambas formas hoc tempore jam non in usu fuisse verisimile est; nec minus *ϑ* ubique est Θ. My litterae antiquissimam Ϻ formam exstinctam esse videmus; incisa est constanter recentissima M forma, quae inde ab hoc tempore sola usitata fuit. Nam etiam media Μ forma hac aetate rarissime tantum comparet; (reperitur in titulis C. I. A. n. 27 et 333). Maximi autem momenti sunt *α* et *ν* litterae. Ac vetustissimae quidem Ͷ formae nullum jam vestigium exstare non est mirandum. Contra media Ν forma et recentissima forma N hoc modo usurpatae sunt: in ipso nominum indice ter tantum N recentissimum invenitur (vs. 27, 60, 61), ce-

---

[1]) Actt. acad. reg. Berol. 1864, cl. hist.-phil., part. II, p. 5.

terum ubique summa cum constantia media *N* forma comparet. Ea autem, quae praescripta sunt verba (*Ἐρεχϑηΐδος οἵδε* etc. v. supra) et ea, quae postscripta sunt: „*ἐν Αἰγύπτῳ Τελένικος μάντις*“ ubique recentissima N forma utuntur, quare quis coniciat haec verba ab alio quodam scalptore esse incisa, praesertim quum litteris paulo majoribus scripta sint. Hoc si recte conicitur non sine verisimilitudine licet existimare hoc tempore et inclinatam et erectam formam suum habuisse usum, atque ita, ut unusquisque scalptor aut hac aut illa forma uteretur. Nimirum si quis alteram formam usurpare solebat, tamen altera forma fortuito interdum poterat ei intercurrere, cum ambae formae notae et in usu essent. Sic in nominum indice quamquam plerumque *N* forma conspicitur, tamen N ter est admixtum. Dolendum est hac re rationem chronologicam admodum difficilem fieri, cum multi tituli, qui N recentissimum exhibent, nihilominus paulo vetustiores esse possint, quam alii, in quibus vetustior *N* forma compareat. Sed ejusmodi difficultates omnibus aetatibus occurrunt, quibus antiquae formae in novicias mutabantur, et facere nihil possumus, nisi ipsas has difficultates quam clarissime perspicere et cavere, ne aut his aut illis formis fallamur.

Deinde *α* litterae in hoc quem tractamus titulo ambae formae (A et A) primo aspectu plane promiscue videntur esse usurpatae, sed si accuratius spectamus, tamen aliqua differentia cognoscitur. Cum enim nominum index tribus scriptus sit columnis, istae singulae sunt considerandae. Sic autem apparet in primo quidem et altero ordine noviciam A formam multo saepius, quam A comparere, in tertio autem A saepius inveniri quam A. Ac prima series praebet A formam duodetricies, A autem ter tantum, et in altera A formam undetricies, A sexies conspicimus; contra tertia columna contrarium exhibet usum, cum ibi obliquum A duodetricies, A autem libratum tantummodo duodecies incisum sit. Itaque etiam hic non sine causa conici potest priores columnas non eadem manu exaratas esse atque tertiam, et de *α* littera idem opinandum est, quod de Ny memoravimus: alios scalptores vetustiorem alios noviciam formam anteposuisse. Sed non nego hanc opinionem nec de Ny, nec de *α* littera plane posse comprobari, cum litterae

$\upsilon$, $\chi$, $\varrho$, quarum, ut satis intelleximus, alii alias formas usurpabant, et in omnibus tribus nominum seriebus et in iis, quae antecedunt et sequuntur, ubique easdem formas Y, X, ᚠ praebeant. Contra ea nomina, quae Kirchhoffius serius margini addita et aperte ab alio quodam scalptore incisa esse monuit, caninae litterae pro ᚠ exhibent ᑭ et P formas; $\upsilon$ utitur formis V, Y, Υ; $\chi\iota$ quidem etiam hic X est, pro ⦶ autem forma, quae in omni titulo constanter comparet, hic recentior Φ forma conspicitur, et sibilantis denique litterae pro usitato ≶ semel exstat novicium Σ. (Sic jam Ol. 80, 1—2 primordia noviciarum illarum Σ, Φ, Υ formarum inveniuntur.) Itaque cum universus titulus, excepto hoc posteriore additamento, litterarum $\varrho$, $\upsilon$, $\chi$, $\varphi$, $\sigma$ constanter easdem formas praebeat, dubitari sane potest, num solum propter litterarum $\nu$ et $\alpha$ diversum usum diversos lapicidas hunc titulum exarasse coniciendum sit. Utcunque res est, certe id ex hoc titulo intelligimus ca. Ol. 80 ambas litterarum $\nu$ et $\alpha$ formas in usu fuisse ac non plane promiscue, sed ita, ut in singulis tituli partibus singulae utriusque litterae formae aliqua cum constantia inscriberentur. Haec constantia in ceteris ejus aetatis titulis tam aperte comparet, ut secundum hunc diversum usum formarum /V, A, N, A aptissime discerni possint quattuor titulorum genera, prout aut /V et A, aut /V et A, aut N et A, aut N et A formae in iisdem titulis una reperiantur. Eum igitur, quem tractavimus, titulum nulli horum ordinum prorsus tribui posse concedendum est, sed in hoc omnia quattuor genera implicite, ut ita dicam, comprehensa sunt. Deinde quamvis in hoc titulo omnes illae formae et antiquae et noviciae una compareant, tamen ceteri tituli secundum hunc quadruplicem usum ad diversa tempora aperte possunt referri. Nimirum ii tituli, qui A et /V formis utuntur, iis aequales fere sunt habendi, qui contrarias formas A et N exhibent. Certe autem ii, in quibus noviciae formae A et N solae comparent, aliquanto posteriores sunt iis, qui solas vetustiores A et /V formas usurpatas habent.

---

### 1. De iis titulis, qui A et N formas praebent.

Dolendum est hujus generis paucissima exempla exstare. Vel si accurate spectamus, unus C. I. A. n. 5 jure huic ordini tribuendus est, cum in aliis titulis maxime *α* litterae ambae formae promiscue usurpatae sint. In hoc igitur titulo litterarum *ν* et *α* comparent vetustiores formae N et A; reperitur semel tantum A, bis N forma. Accedit quod hujus tituli litterae, ut jam supra breviter notavimus, non *στοιχηδόν* sunt dispositae. Quid? Num ista duo cujusdam vetustatis indicia licentiae causa vel casu in eodem titulo una comparent? Minime quidem! Sed propter hanc vetustiorem litteraturae speciem multo aptius id coniciendum est hunc titulum ideo non *στοιχηδόν* scriptum esse, quod compositus sit, priusquam stoechica scriptura vulgarem usum accepisset. Qua de causa certe temporibus Ol. 79—80 vetustior videtur esse habendus, cum hoc tempore, ut ex nonnullis inscriptionibus infra tractandis videbimus, scriptura illa recentior jam vulgo usitata fuerit. Cum autem praeter hunc, de quo agimus, etiam alium quendam titulum non *στοιχηδόν* scriptum habeamus, qui complures ob causas ad Ol. 76 fere videtur esse revocandus, equidem non dubito, quin etiam hic titulus ca. Ol. 75—77 exaratus sit. Sed si hoc recte perspectum est, hac re unum satis certe comprobatur, quod prima hujus disputationis parte opinari tantum poteramus. In hoc enim de quo egimus titulo My littera jam recentissimam illam M formam constanter exhibet. Quodsi hoc M recentissimum jam ca. Ol. 76 constantem habuit usum, et nec M, nec M in hoc titulo usquam conspiciuntur, consequens est, ut M illud antiquissimum diu antea exoleverit, et ii tituli, in quibus inveniatur, certe ad sextum saeculum pertineant. Sic etiam hac re confirmatur ea opinio, qua universa fere prima pars hujus disputationis quodammodo innititur: titulum illum in muro repertum (C. I. A. n. 479), cum M formam praebeat, certe non post Ol. 70 esse exaratum.

Ceterorum titulorum quodam jure huc possunt referri tituli C. I. A. n. 2, 378, 381. Ac n. 2 Ny litterae inclinatam formam N ubique exhibet, formis autem A seu A non constanter sed promiscue cum recentiore A forma utitur; n. 378 exiguum est

fragmentum, quod habet illas A et N formas. In n. 381 denique N forma constanter usurpata est, A autem bis, A semel conspicitur.

### 2. Inscriptiones, in quibus A et N formae una comparent.

Ad hunc ordinem longe plurimi hujus aetatis tituli pertinent, ac mentione quidem dignum est has formas A et N plerumque sine ulla exceptione usurpatas, raroque tantum formas A et N immixtas esse. Primum ago de n. 432, qui titulus fragmenta exhibet monumenti sepulcralis, quod Athenienses in memoriam exstruxerant eorum, qui in bello Thasio (Ol. 78, 4) diversis locis occubuerant. Quod ita se habere summa cum verisimilitudine indagavit Kirchhoffius ad C. I. A. n. 432; ergo hunc titulum insequenti anno (Ol. 79, 1) exaratum esse opinari possumus. Ac litterae quidem *ν* et *α* constanter N et A formas praebent; solo in fragmento $b^{B}$ ter N forma comparet; A autem nusquam invenitur. Quodsi hunc titulum cum illo, quem supra tractavimus (n. 433) comparamus, eum, quamvis quattuor annis illo vetustior sit, tamen recentiorem litteraturae speciem praebere videmus, cum in illo (433) praeter A formam saepissime etiam antiquum A reperiatur, in hoc autem ad *α* litteram designandam constantissime novicia A forma adhibita sit. Hac re plane confirmatur, id quod supra conjecimus, ca. Ol. 80 *ν* et *α* litterarum utrasque formas in usu fuisse, atque ita, ut, quae cuique formae magis placerent, hae maxime ab eo usurparentur. Deinde hoc exemplo id quoque perspicitur, titulos, qui solam noviciam A formam exhibeant, tamen summa cum fiducia anno Ol. 80 anteriores haberi posse, dummodo historicis sive aliis quibusdam argumentis hoc comprobetur. Quod, quanti momenti sit, ex titulis n. 374—376 considerandis intelligimus. Isti enim tituli Critium et Nesiotam auctores profitentur, quos artifices anno Ol. 76, 1 novas tyrannicidarum statuas pro iis quas Xerxes abstulerat, confecisse constat. Quodsi illi eo tempore media fere aetate fuerunt, apparet eos titulos, qui eorum nomina prae se ferunt, anno Ol. 80 potius antiquiores, quam posteriores putandos esse. Certe autem hi tituli, etiamsi Critius et Nesiotas

extrema fere vita eos exaraverunt, diu post Ol. 80 scripti esse non possunt. Sed multo aptius lustro vel decennio ante Ol. 80 compositi esse existimantur. Nihilominus ne in iis quidem unquam *α* litterae antiqua Α forma comparet; sed, ut in n. 432 (Ol. 79, 1), summa cum constantia novicium A incisum est. Etiam ceterae litterae plane eandem speciem, ac n. 432, exhibent: maxime antiquiores Ν, Ϟ, Φ formas sine ulla exceptione videmus usurpatas.

Ceterorum hujus generis titulorum accuratius considerandus est titulus C. I. A. n. 333, cujus jam supra saepius mentionem fecimus. Hic titulus propter nonnulla singularia vetustatis cujusdam indicia valde est memorabilis. Primum non *στοιχηδόν* scriptus est, deinde *μ* et *ε* litterarum antiquiores formas praebet, quam quae in ceteris titulis, qui post Persica bella scripti sunt, vulgo usurpabantur. Ac media illa Μ forma, quae hic comparet, praeterea in n. 27 tantum invenitur, ibi autem non vetustatis argumentum haberi potest, quia ille titulus aperte ca. Ol. 90 demum exaratus est. Deinde *ε* litterae lineae paululum sunt obliquae, ita ut media Ε forma compareat; nonnumquam vel hastam deorsum productam esse apparet. Haec remotioris antiquitatis indicia casu adesse omnino non possunt, praesertim cum in utraque tituli parte conspiciantur, quas partes propter diversas *υ* litterae formas diversis manibus exaratas esse quispiam coniciat. Quibus de causis ego quidem hunc titulum annis Ol. 78—80 anteriorem esse arbitror, et facere non possum, quin de hac re aliter sentiam, ac vir clarissimus Kirchhoffius, qui eum pertinere opinatus est ad colossicum illud Minervae propugnatricis simulacrum, quod Athenienses in memoriam pugnae Marathoniae per Phidiam exstruendum curaverunt[1]), cum hoc, de quo Pausanias agit monumentum, quoniam Phidias auctor fuit, certe non ante Ol. 80 positum esse possit. Accedit, quod neque ex inscriptionis verbis, neque ex ipsis monumenti fragmentis, quae supersunt, neque ex loco, ubi reperta sunt haec fragmenta, certi quidquam deduci potest, quo illa opinio satis comprobetur. Etenim e tituli verbis, quae sunt: „*Ἑλλ[άδα γῆν] πᾶσαν δούλιο[ν ἦμαρ ἰδεῖν]*, deinde: *στῆσαμ πρόσθε πυλῶν*, denique

---

1) cf. Paus. I, 28, 5.

*ἄστυ βίᾳ Περσῶν κλινάμενο[ι δύναμιν]*" tantummodo id prorsus intelligitur monumentum illud in bellorum Persicorum memoriam aedificatum fuisse. Sed nec quo temporis puncto, neque a quo statuario confectum sit, neque utrum sepulcrale monumentum, an donarium fuerit, ullo modo perspici potest. Quoniam igitur propter totius litteraturae speciem vetustiorem hunc titulum annis Ol. 79—80 anteriorem esse opinor, jam quaerendum est, quod ad temporis punctum pertinere videatur. Ac certe eum post Persica demum bella, i. e. post Ol. 75 scriptum esse ex ipsis ejus verbis apparet, quare, cum pugna Plataeensis anno Ol. 75, 2 commissa sit, satis apte haec conjectura fieri potest, hoc monumentum ca. Ol. 76 ab Atheniensibus esse positum. Denique conferamus hunc titulum cum altero illo (C. I. A. 5), quem eodem fere tempore incisum esse censuimus. Uterque non *στοιχηδόν* est scriptus, uterque Ny litterae inclinata N forma utitur; sed in n. 5 quidem *α* litterae vetustior A forma, *μ* et *ε* litterarum recentissimae formae M et E conspiciuntur. Contra n. 333 harum litterarum vetustiores formas M et E, *α* litterae autem noviciam A formam exhibet. Hae variae earundem litterarum formae non obstant, quominus ambo tituli ad idem fere tempus referantur; fortasse n. 5 paucis annis recentior est, quam n. 333.

Praeter hos, quos consideravimus titulos plurimi exstant, qui, cum easdem litterarum *ν* et *α* formas praebeant, ad eundem, de quo agimus, ordinem eandemque aetatem sunt referendi. Ac ne nimis longa fiat haec tractatio, non considerare omnes sed enumerare tantum in animo habeo. Populiscitorum ad hoc genus pertinent: C. I. A. n. 11, 12, 13, 15, 17, 18, 19, quo in numero solus n. 13 memorandus est. In hoc enim titulo duplex sonus *ψῖ*, cujus usurpandi bis locus erat (vs. 3 et vs. 6) non litteris *φσ* sed Ionica nota Ψ designatus est. Qua re intelligitur jam ante medium quintum saec. Athenienses Ionici alphabeti formas memoria ac scientia ita comprehensas habuisse, ut interdum vel in publicis monumentis exarandis in Ionum morem inciderint[1]). Praeterea in eodem titulo n. 13 notanda est *φῖ* litterae recentior Φ forma, quam in

[1]) cf. Kirchhoff: Stud. z. Gesch. d. griech. Alph. p. 71.

hoc, de quo agimus numero etiam n. 15 exhibet; vetustior autem Φ forma in n. 12 invenitur. Sequuntur eorum, qui huc referendi sunt, titulorum in Corpore Inscr. Att. illi tributorum catalogi. Sed priusquam ad eos considerandos accedam, antea ceteros omnes, qui huc spectant, titulos enumerabo. Sunt aut tituli donariorum a privatis hominibus dedicatorum, aut monumenta publica sepulcralia. Quorum illi inveniuntur C. I. A. n. 380, 385, 393, 395, 396, 398, 399, haec n. 434, 435, 493. Praeterea huc pertinet n. 536, qui titulus et ipse videtur esse sepulcralis. Quorum titulorum nullus exhibet novi quidquam; adnotari potest in n. 434 praeter N forman, quae plerumque comparet, quinquies N recentissimum admixtum esse. Deinde in n. 398 ad $\eta$ sonum designandum H forma adhibita est.

Jam postremo ii tituli tractandi sunt, quorum aetas propter historica argumenta clarissime perspicitur. Dico indices illos tributorum, qui inde ab Ol. 81, 3 quotannis componebantur, ita ut singuli ad singulos annos pertineant et omnes mutationes, quas alphabetum inde ab Ol. 81, 3 percucurrit, ad certum annum referri possint. Hoc scilicet loco tantummodo de iis catalogis agendum est, qui prioribus novem annis (Ol. 81, 3—83, 2) scripti sunt. Maximi momenti hoc tempore litterarum $\alpha$, $\nu$, $\sigma$ formas esse apparet; praeterea autem $\varphi\iota$ quoque litterae ratio est habenda, quippe quae eodem hoc temporis spatio pro antiquiore forma Φ recentiorem Φ formam acceperit. Litterarum $\alpha$ et $\nu$ comparent plerumque A et N formae, quam ob rem hos titulos ad eum, de quo agimus, ordinem pertinere elucet. Alterae harum litterarum formae A et N reperiuntur quidem, sed ita, ut N in nonnullis titulis nonnunquam immixtum sit, A autem nonnisi in duobus fragmentis aperte eadem manu exaratis praeter A formam saepius compareat. Primo igitur anno Ol. 81, 3 (v. C. I. A. v. 226) solae vetustiores formae N, ≶, Φ usurpatae sunt, altero anno Ol. 81, 4 (v. n. 227) $\varphi\iota$ quidem littera constanter praebet Φ formam; sed Σ bis invenitur et N semel, ceterum ≶ et N formis ubique inscriptis. Tum Ol. 82, 1 (v. n. 228) invenimus $\varphi\iota$ litterae solam recentiorem Φ formam; Σ semel admixtum est, N nusquam conspicitur. Duobus annis proxime insequentibus Ol. 82, 2 et 3 (v.

n. 229 et 230) iterum solae vetustiores formae N, Ƨ, ⌽ usurpatae sunt, et in n. 230 fragmenta n. 23 et 24 vel *α* litterae antiquiores formas A seu A saepius exhibent, qua re apparet hoc tempore, quamvis A magis usitatum fuerit, tamen etiam A formam nondum plane in usu versari desiisse.

Quanta hoc temporis spatio fuerit inconstantia in usu *ν*, *σ*, *φ* litterarum aperte perspicimus, si cum his titulis sequentis anni Ol. 82, 4 catalogum comparamus (v. n. 231). In illis reperiuntur solae vetustiores formae, in hoc autem noviciae formae Σ et Φ summa cum constantia usurpatae sunt; at N et N formae plane promiscue comparent. Tum annis Ol. 83, 1 et 2 (v. n. 232 et 233) litterarum *ν* et *σ* rursus antiquiores N et Ƨ formas ubique conspicimus; *φ*ϊ littera in n. 232 deest fortuito n. 233 autem exhibet novicium Φ. In hac tanta inconstantia non est mirum, quod aliquando certo temporis puncto certae cujusque litterae formae planum usum acceperunt. Hoc factum est anno Ol. 83, 3. Cum annis proxime antecedentibus modo antiquae modo recentiores formae litterarum *ν*, *σ*, *φ* inscriberentur, inde ab hoc anno solae noviciae formae in usu permanserunt, idque non solum in his ipsis tributorum catalogis, verum etiam in omnibus titulis, qui post annum Ol. 83, 2 exarati sunt. Sic non modo *σ* litterae forma Ƨ anno Ol. 83, 3 exolevit, verum etiam *ν* et *φ* litterarum antiquiores N et ⌽ formae. Universe igitur contendi potest eos titulos, in quibus aut Ƨ aut N aut ⌽ compareat anno Ol. 83, 3 vetustiores esse habendos. Quodsi quis titulus unius litterae antiquiorem exhibet formam summa cum verisimilitudine ad tempora anno Ol. 83, 3 anteriora est referendus, etiamsi ceterarum harum litterarum noviciae formae usurpatae sint. Sed hanc legem *σ* et *ν* litterae interdum neglexerunt. Primum enim Ƨ forma in paucis privatis monumentis post Ol. 83, 2 confectis reperitur. Cujus rei unum afferam exemplum satis certum. Titulus C. I. A. n. 422, quamquam ubique Ƨ formam praebet, tamen certe temporibus anno Ol. 83, 2 serioribus tribuendus est, cum et H forma ad *η* litteram designandam constanter adhibita sit, et Aristocrates ille Sceliae filius, a quo hoc donarium dedicatum est, anno Ol. 93, 3 pugnae ad Arginusas commissae praetor interfuerit, qua de causa non est proba-

bile, ab eodem plus quadraginta annis antea hoc donarium esse dedicatum. Etiam publicorum, qui ≶ formam exhibent, titulorum fortasse unus post Ol. 83, 2 demum exaratus est. Dico titulum C. I. A. n. 334, cujus exemplum Kirchhoffius summa cum verisimilitudine post devictam Euboeam factum esse conjecit. Euboea autem superata est a Pericle anno Ol. 83, 3 vel. 4, ita ut hic titulus Ol. 83, 4 vel. Ol. 84, 1 incisus esse videatur. Itaque cum in tributorum catalogis post Ol. 83, 2 forma ≶ jam non usurpata sit, titulus autem, quem tractamus, ≶ formam praebeat, hoc exemplo videtur probari etiam in publicis monumentis catalogorum illorum usum nonnumquam esse neglectum.

Deinde etiam nasalis litterae inclinatam formam post Ol. 83, 2 non solum in privatis, verum etiam interdum in publicis monumentis inscriptam esse concedendum est. Maxime huc pertinent traditiones quaestorum „τῶν ἄλλων ϑεῶν“ (C. I. A. n. 194—225), quas inde ab Ol. 86, 3 quotannis compositas esse constat. In quibus fragmentis nonnumquam, rarissime scilicet, N forma occurrit (v. C. I. A. n. 194, 198, 208, 214). Ceterorum titulorum etiam fragmentum n. 311, quod et ipsum post Ol. 83, 2 scriptum esse apparet, N formam exhibet. Porro notandi sunt hoc loco tituli n. 93, 267, 283. Hi autem nullius momenti sunt, propterea quod inscriptionum n. 93 et 283 exempla nostra omnino Ionica scriptura utuntur, et aperte post Ol. 94, 2 exarata sunt. Praeterea tituli n. 93 omnis litteratura adeo est singularis, ut Koehlerus summo jure „karikirt“ eam appellet. Nec minus eidem Koehlero tituli n. 267 scriptura „abweichend, sonderbar und geziert alterthümlich“ visa est. (Eandem ob causam nihil tribuendum est titulis C. I. A. n. 423—431). Restant nonnulli tituli, qui cum et ipsi Σ et Φ formas praebeant, tamen N forma utuntur, quorumque alii aperte ante Ol. 83, 3 exarati sunt, alii autem et ante Ol. 83, 3 et postea scripti esse possunt, propterea quod nihil certi de eorum aetate constat. Atque ad illorum numerum referendi sunt tituli C. I. A. n. 289—296, quos Kirchhoffius ca. Ol. 82 componi coeptos et ab hoc tempore per insequentes octo annos perductos esse censet. In omnibus his titulis constanter N forma scripta comparet, sibilans littera in n. 291 vetustiore ≶ forma

utitur, omnes ceteri tituli exhibent Σ formam. Quodsi in horum titulorum aetate definienda auctoritatem sequimur catalogorum illorum, in quibus inde ab Ol. 83, 3 N forma plane exstincta erat, hi tituli, quia hanc N formam constanter praebent, anno Ol. 83, 3 vetustiores habendi sunt, ita ut paucis annis ante Ol. 82, 1 promulgari coepti esse videantur. (Notanda est Lamda litterae inclinata V forma, quae in n. 290—293 constanter comparet, cum in reliquis partibus consueta Ꝉ forma inveniatur). Denique numerus exstat haud exiguus ejusmodi titulorum, qui et ipsi Σ et N formas una exhibent; eorum autem de aetate certi quidquam dici non potest. Inveniuntur C. I. A. n. 25, 26, 27, 30, 39, 89, 90, 316, 401, 402, 445, 555. Quaeritur igitur utrum hi omnes solam propter N formam antiquiorem ante Ol. 83, 3 referri possint, an haec inclinata Ny litterae forma etiam post Ol. 83, 3 in usu fuerit. Illud quidem videtur comprobari per tributorum catalogos, hoc autem non sine causa existimari posse concedendum est, cum nonnulli tituli post Ol. 83, 2 exarati N formam nonnumquam praebeant. Atque ego quidem ita opinor: si ϟ forma, quia in tributorum indicibus anno Ol. 83, 3 exolevit, eodem anno e vulgari usu depulsa esse putatur, quamvis in paucis inscriptionibus etiam postea inveniatur, etiam N forma, quae una cum ϟ in illis catalogis in desuetudinem abiit, illo anno fere exstinctam esse existimandum est. Nam id summa cum fiducia contendo: perinde ac ϟ forma non casu, sed aperte consilio post Ol. 83, 2 in indicibus illis iam non scriptum comparet, eodem modo etiam N et ⦶ formae in iisdem indicibus ab eodem anno una cum ϟ consulto ac scienter omissae sunt. Atque si postero tempore hic catalogorum usus in Ny littera incidenda non ab omnibus lapicidis pariter respectus, sed a quibusdam interdum neglectus est, hac re ipsum illud, quod contendo, nullo pacto refutatur. Ceterum eodem modo atque N etiam ϟ forma post Ol. 83, 2 in publicis titulis fortuito interdum immisceri potuit, quamquam adhuc huius rei exemplum prorsus certum nondum habemus. Sed postero tempore fortasse monumenta quaedam reperiri posse, quae quamvis post Ol. 83, 2 composita sint tamen fortuito ϟ formam exhibeant, quis est qui neget? Quam facile fieri potuit,

ut quispiam lapicida per licentiam vel neglegentiam a vulgari usu discederet.

### 3. De N et A formarum usu conjuncto.

Numerus ejusmodi titulorum admodum parvus est, cum huc pertineant nonnisi quinque populiscita: C. I. A. n. 1, 4, 7, 10, 14 et duo tituli donariorum, quorum alter editus est C. I. A. n. 382, alter nuperrime ab Hirschfeldio: Archäol. Ztg. 1873 N. F. tom. 6; fasc. 3 p. 108.

Is quem initio hujus ordinis nominavi: C. I. A. n. 1 in eo quidem exemplo, quod ibi exstat, nunquam A sed ubique A formam praebet; attamen eum huc referendum esse nuper apparuit. Titulus enim, qui est in museo Britannico, in editione inscriptionum ibi reconditarum, quam nostris diebus viri museo illi praefecti curaverunt, plerisque locis A formam exhibet. Novicium quidem A et ipsum saepe admixtum est, sed in universo titulo antiquior A forma multo frequentiorem usum habet. Atque cum nasalis littera constantissime N formam praebeat, sibilus autem constanter antiquiore ϟ forma designatus sit, hunc titulum ei, de quo agimus generi, tribuendum esse elucet. (φῖ littera ubique vetustiore Φ forma utitur.) Deinde in titulo n. 4, qui et ipse ϟ et Φ formas exhibet, N forma bis tantum reperitur (vs. 17), ceterum N recentiore ubique usurpato, A autem semel tantum (vs. 5) conspicitur. Eadem A forma in n. 7 semel admixta est, tituli autem n. 10, 14, 382 N et A seu A formas, ubicunque occasio erat oblata, sine ulla exceptione praebent. De eo denique titulo, qui Corpore Inscr. Att. jam edito repertus est, ipse Hirchfeldius haec dicit: „In Pascha Limani, einem Hafen am Weg von Thoriskos nach Sunion, steht am Strand eine unregelmässige, viereckige, weisse Marmorplatte, welche, im Uebrigen rauh gelassen, nur an einer kurzen Seite einen glatten Raum hat, auf dem geschrieben steht:

ⱵVΦOBOϟANEΘEKEN“

Comparent omnes formae huc spectantes: A, N, ϟ, Φ.

### 4. De iis titulis anno Ol. 83, 3 vetustioribus, qui N et A formas exhibent.

Ad hunc ordinem tantummodo ii tituli certo referri possunt, in quibus aut ϟ, aut ⊕ forma comparet, quoniam omnes tituli, in quibus solae noviciae N, Σ, Φ formae conspiciuntur, summa cum verisimilitudine anno Ol. 83, 2 posteriores habendi sunt. Spectant igitur ad hoc, de quo agimus, genus inscriptiones C. I. A. n. 3, 16, 20—23, 387, 391, 392, 397, 436—440, 517, 518. In omnibus formae illae: A, N, ϟ, ⊕ plerumque comparent. Atque α ubique est A; semel tantum reperitur Α forma: n. 439, 15; N forma occurrit n. 16, 6; n. 397, 1 et 2; Σ forma in n. 437 ter admixta est, et φι littera in aliis titulis vetustiore ⊕, in aliis recentiore Φ utitur. ⊕ comparet in n. 438, 439, 440, Φ in n. 3, 20, 21, 437. Ceteri tituli scribendae φ litterae occasionem non obtulerunt. Notanda est in n. 440 Ionica forma Ξ, ad designandum sonum κσ constanter adhibita, quod quidem alicujus momenti est in titulo hoc satis vetusto, qui cum ambas illas antiquiores ϟ et ⊕ formas praebeat, certe aliquanto ante Ol. 83, 3, fortasse ca. Ol. 80 incisus est. Eodem modo per Ionici alphabeti auctoritatem in titulo n. 23*a*, vs. 2 H forma cum η litterae potestate comparet.

## *II. De extrema alphabeti Attici aetate Ol. 83, 3 — Ol. 94, 2.*

Primum hac aetate re vera vetustiores N, ϟ, ⊕ formas jam non in usu fuisse videmus, idque non solum ex ipsis illis tributorum catalogis, sed etiam ex omnibus ceteris hujus temporis titulis, quorum exempli causa nomino C. I. A. n. 28 et 29, qui Ol. 84 scripti sunt, porro n. 31, qui ad idem fere temporis punctum pertinet. Summa ubique constantia ν, σ, φ litterae noviciis N, Σ, Φ formis utuntur. Quibus in titulis ab hoc usu discessum sit, jam supra memoratum est: certe haec paucissima exempla, quae ϟ et N formas etiam post Ol. 83, 2 exhibent, nullius fere momenti sunt, si comparantur cum summa illa inscriptionum multitudine, in quibus solae noviciae formae sine ulla exceptione usurpatae sunt. Et cum etiam α litterae vetustior Α forma una cum illis N, ϟ,

Φ formis in desuetudinem abiisse videatur, alphabetum Atticum, postquam per multos gradus multasque mutationes percucurrit, anno Ol. 83, 3 tandem ad eam singularum formarum stabilitatem pervenit, unde verae et germanae mutationes jam non factae sunt.

Attamen hujus aetatis duae res sunt propriae, quibus perspicitur, non potuisse servare alphabetum Atticum hanc suam ipsius speciem. Primum enim hac aetate spiritus asperi usus magis magisque corrumpebatur, deinde Ionici alphabeti quaedam formae paulatim ita increbruerunt, ut postremo Athenienses suum alphabetum cum Ionico plane mutare cogerentur.

### 1. De spiritu aspero.

Spiritus asperi usus hac omni aetate adeo inconstans fuit ac perversus, ut H nota saepissime aut ibi omissa sit, ubi scribenda erat, aut praescripta compareat ejusmodi vocibus, quae re vera spiritu aspero carent. Qua re apparet hunc sonum procedente tempore magis magisque neglectum esse, ita ut postremo omnino non audiretur, neque quisquam in dicendo rationem ejus haberet. Cum autem ipso sono exstincto nihilominus H nota in usu permaneret, consequens fuit, ut unusquisque lapicida eam ibi adiceret, ubi spiritum antea pronuntiatum fuisse arbitraretur.

Sed ut non solum ipse hic usus perversus, quem spiritus asper post medium quintum saec. praebuit, verum etiam causa ejus quam clarissime perspiciatur, aptum videtur, eum quem spiritus asper inde a vetustissimis temporibus habuerit usum breviter explicare. Ac certe quidem hic sonus apud Athenienses (ut apud ceteros Graecos) nullo tempore tam aspere ac pinguiter pronuntiabatur, quam nos in nostro sermone pronuntiare eum consuevimus; sed etiam tum, cum floreret, admodum leniter videtur sonuisse. Etenim jam vetustissimis temporibus nonnumquam aut omittebatur H forma aut errore adscribebatur. Atque hoc quidem elucet e monumento Sigeensi, ubi comparet scriptura *Αἴσωπος;* illud probatur titulo C. I. A. n. 351, qui in voce *'Εόρτιος* H formam praetermissam habet. Utrumque titulum sexto saeculo compositum esse supra vidimus. Deinde in populiscito illo satis vetusto: C. I. A. n. 5, quod ego quidem ca. Ol. 76 exaratum esse censeo, scriptum est

ἑορτῇ. Titulus C. I. A. n. 374, qui, cum Critium et Nesiotam auctores profiteatur, certe anno Ol. 80, 1 anterior est, vs. 3 Ἡγέλοχος scripturam exhibet. Porro C. I. A. n. 1, vs. 1 spiritus nota falso praescripta est ἀκούσια voci; C. I. A. n. 13, 5 legitur ὁ pro ὀ; ambo tituli ca. Ol. 80 videntur esse exarati. Ceteras anomalias, propterea quod nimia earum multitudo comparet, breviter tantum notabo:

Ol. 81, 3: C. I. A. n. 226, vs. 6 *b*: Αἰραῖοι; [contra n. 230, 5 (Ol. 82, 3) et n. 232, 6 (Ol. 83, 1) recte scriptum est: Αἰραῖοι].

Ol. 81, 3: C. I. A. n. 226 col. IV, 5 ⎫
Ol. 82, 1: - n. 228 col. V, 17 ⎬ Ἁβδηρῖται.
Ol. 82, 3: - n. 230, 15 *b*. ⎭

Haec scriptura praeter haec exempla saepissime invenitur (sic C. I. A. n. 242, 8; Ol. 85, 3). Contra in n. 230 praecedente versu (14 *b*.) παρ' Ἄβδηρα scriptum est.

In iisdem catalogis saepius legitur:

Ἠφαιστιῆς: v. n. 233 vs. 8 *c*. et 25 *c*. (Ol. 83, 2); n. 236 vs. 9 *c*. (Ol. 84, 1).

ca. Ol. 83: C. I. A. n. 445, 6: Ἐστιαίον.

ca. Ol. 85: Ἐστιαίας (C. I. A. n. 28, 3; 29, 3 et 10); hac in voce ceterum saepissime H nota recte usurpata est.

ca. Ol. 85: C. I. A. n. 31, *A* 22: ἐψηφισμένων.
- - - *A* 28: ἡμερῶν.
- - n. 420 vs. 4 et 6: Ἱσθμοῖ.

Ol. 86, 1: n. 244, 62: Ἀλικαρνασσῆς.

Ol. 86, 3: n. 299, 12: Ἐλλησποντίου.
- : n. 315, 15: ἡμερῶν.

ca. Ol. 86: n. 335, 2: Ὑγιείᾳ.

Ol. 87, 1: n. 442 vs. 5: ὑπεδέξατο.
vs. 7: οἱ.
vs. 8: ἐλπίδ'.

ca. Ol. 87: n. 194, 2: ῄ pro ἤ.
n. 210, 7: ἱερῶν.
n. 212, 5: ἡ pro ἠ.
vs. 6 ἥμεδα . . .

Ol. 88, 1: n. 36, 11: ὅτου.
n. 256, 15 et 30: Ἀβδηρῖται.
Ol. 88, 4: n. 446, 42: Ἀγνόδημος.
v. 49: Ἡγησίας.
ca. Ol. 88: n. 38 *b*. vs. 4: ἑκάστη.
*f*. vs. 5: αἱρεῖσθαι.
*f*. vs. 15: ἥκωσι.
*g*. vs. 21: αἱρε[θῶσι].
Ol. 89, 1: n. 40, vs. 12: ὥσπερ; vs. 15: προςηκέτω.
vs. 23: ὁμολογῶσιν.
vs. 25: ἑκάτεροι, vs. 36: ἑκάστου.
vs. 39: ἕκαστος et Ἑλλησποντοφύλακας.
vs. 41 bis ἡ; vs. 53: ἡ; vs. 56: οἱ.
Ol. 89, 4: n. 45 v. 16: ὁ γραμματεὺς ὁ τῆς βουλῆς.
n. 260 *B* v. 1: αἵδε; vs. 3: Ἡφαιστιῆς.
ca. Ol. 89: n. 37: saepius ἡμέρα; frgm. *y* 10: οἱ.
ca. Ol. 85—90: n. 85 v. 4: ὁποτέρα.
n. 88 v. 5: ἡ̈ pro ἡ.

Etiam titulum C. I. A. n. 422, de quo supra iam actum est, ad hoc temporis spatium pertinere censeo; in quo adhibita est H forma constanter ad η sonum designandum, quam ob rem spiritum asperum in voce ἑορτῇ deesse non est mirandum.

Ca. Ol. 90 praeterea videntur esse exarata exempla titulorum C. I. A. n. 32 et 273 (cf. Kirchhoffium), quamquam decreta illa, de quibus agit n. 32, pertinent ad Ol. 86, 2, actaque tituli n. 273 ad Ol. 88, 3 referenda sunt. Haec igitur exempla exhibent scripturas has:

C. I. A. n. 32 *A*, vs. 5: ἅ; vs. 6: Ἑλληνοταμίαις et ἅ; vs. 9 ἡ;
vs. 16: ὅσιον; vs. 22: ἅπαντα; vs. 29: αἷς.
*B*, vs. 20: Ἑλληνοταμίαις.
vs. 28: ὑπάργυρα.
C. I. A. n. 273: ἡμέραι (constantissime), ἐν ἕνδεκα ἔτεσιν (frg. *h*. vs. 4, 7, 10, 11, 13).
ca. Ol. 90: n. 52, vs. 10: ὁμήρους.
n. 264 v. 8: ὢν pro ὤν.
n. 277 v. 20 et 24: Ἰλλύριος.

Ol. 91, 1: n. 55 *d.* vs. 6: ἑξ[ήκοντα].
ca. Ol. 91, 1: n. 54 v. 16: ὁπλῖται, ἑκάστῃ.
Ol. 91, 2: n. 274 v. 6: ἑβδόμῃ, ἱσταμένου.
Ol. 92, 1: n. 56 *a.* vs. 3: ὅτι; vs. 7 ὁ; vs. 10 ἡμερῶν.
*b.* vs. 7: ὁπόσοι.
- n. 167 vs. 7: ἥλῳ; vs. 9: ἀριθμόν.
Ol. 92, 3: n. 57 *a.* vs. 33: ὁ; *b.* v. 2: ἡμερῶν.
- n. 59 *a.* vs. 6: ὡς; *b.* vs. 8: ὧν; *d.* v. 30: ὥμπερ.
- n. 60 v. 9: ὅσα.
- n. 188 v. 1: ῃ pro ᾗ; v. 7: ἑκατόμβην; v. 9 et 10: ter ἕτερον; v. 10: Ἑλληνοταμίαις; scripturae: ἑβδόμης, ἡμέρα, ἕκτῃ, ἑνδεκάτης, ὁ saepius comparent.
Ol. 92, 4: n. 61 vs. 8: οἵδε; vs. 9: οἵδε Ἑλληνοταμίαι.
- n. 322 vs. 45: ἑξ pro ἐξ; v. 93: ἕω.
ca. Ol. 92: n. 321 v. 16: ἑκαστ . . .
v. 18: ἡμιδράχμου.
v. 21: ἕω.
v. 28: ἡμισύ.
Ol. 93, 1 et 2: n. 139, 4 et 140, 1: ἐν τῷ Πρόνεῳ; annis proxime antecedentibus scribebatur: ἐν τῷ Πρόνεῳ.
- n. 258, 11: αἵδε.

Eodem anno (Ol. 93, 1) scriptus est titulus C. I. A. n. 324. Sed hunc infra demum, ubi de ceteris qui huc pertinent titulis actum erit, considerare in animo habeo, propterea quod ex eo maxime omnis inconstantia quacum spiritus asperi nota hac omni aetate aut usurpabatur aut omittebatur, perspici potest. Itaque pergo:

Ol. 93, 2: C. I. A. n. 189. Hoc in titulo spiritus asper omnino praetermissus est. Immo vero in particula *b* vs. 12—27 H forma adhibita quidem est, sed constanter ad η litteram designandam.

Ad idem fere tempus referendi sunt tituli C. I. A. n. 87 (vs. 1: Ἑλλήσποντον) et n. 325 (vs. 10: ἑνός; v. 13: ὀγδόῃ; v. 14: ἑνί).

Jam igitur ad titulum C. I. A. n. 324 tractandum accedamus. Et quoniam in hoc titulo amplissimo exempla tot inveniuntur, ut

nimis longum sit, omnia verba, omnesque locos enumerare atque considerare, nihil facere in animo habeo, nisi in universum pauca dicere de numero omnium exemplorum et de iis vocibus, quae majoris momenti esse videantur. Ac scribendi spiritus asperi in omni titulo locum dederunt voces sexaginta, quarum quadraginta spiritus notam praebent, viginti autem ea carent. Ducentae autem et quattuordecim, nisi fallor, voces reperiuntur, quibus propter naturam suam atque indolem non spiritus asper sed pura vocalis principium est. Harum igitur vocum nihilominus centum et viginti duae H formam superadditam exhibent, et tantummodo nonaginta duae recte sunt scriptae. Qua re videmus in hoc titulo ea exempla, quae adversus verum linguae Graecae usum H forma aut utantur aut careant, saepius ac plura inveniri, quam ea, quae rectam sermonis consuetudinem secuta sint. Singularum vocum, quae hunc usum corruptum praebent imprimis notandae sunt voces *οἱκοῦντι* et *οἱκῶν*, quarum utraque vicies fere, vel saepius comparet; contra *οἰκοῦντι* ter, et *οἰκῶν* semel tantum invenimus. Recte plerumque scripta est *ἐν* vox, maxime in compositione *ἐμΜελίτῃ*, quae saepissime reperitur; scriptura *ἑν* pro *ἐν* bis tantum immixta est. Illo autem tempore spiritum asperum pronuntiari plane desitum fuisse commodissime intelligitur ex his verborum compositionibus, quae saepius legenti occurrunt: *ἑς ἃς* pro *ἐς ἅς; εἱς ἰερά; τὸν ἑχόμενον ἐξῆς* e. a.

## 2. De usu Ionicarum formarum.

Jam supra aliquot exempla notavimus, quibus probatur, admodum mature Athenienses in tractandis litteris Ionicis ita exercitatos fuisse, ut nonnumquam quasdam Ionicas formas seu casu, seu consilio Atticis titulis immiscuerint. Sic in titulo C. I. A. n. 13, qui videtur esse exaratus ca. Ol. 80, Ѱ forma constanter scripta comparet; eodem modo in tractando titulo n. 440, qui et ipse compositus est ante Ol. 83, 3, Ξ formam notavimus. Porro titulus C. I. A. n. 398, quem satis vetustum esse N, S, Φ formis probatur, Λ formam constanter cum Lamda litterae potestate exhibet; in eodem etiam Γ formam scriptam fuisse intelligitur

ex exiguo hujus litterae fragmento, quod in voce *Διογένης* superest; H forma semel litterae *η* vim habet, semel spiritum asperum designat, ita ut duplex in eodem titulo ejusdem formae compareat usus.

Tales formae Ionicae, quae ante Ol. 83, 3 raro tantum admiscebantur, hac seriore, de qua agimus, aetate magis magisque in usum venerunt; sed ne nimis longa fiat haec tractatio, de nonnullis tantum agam titulis, e quibus Ionicus ille usus perspici possit.

C. I. A. n. 299, qui scriptus est inter annos Ol. 84, 1—Ol. 86, 2 (cf. Kirchhoffium) praebet semel Ξ formam.

Eadem Ξ forma usurpata est in tit. C. I. A. n. 403, qui Cresilae artificis nomen prae se fert, quique propter N, Σ, Φ formas post Ol. 83, 3 exaratus esse videtur. Notandum est ejusdem Cresilae etiam alium titulum nobis exstare (C. I. A. n. 402), qui cum nasalis litterae vetustiorem N formam exhibeat, aperte aliquanto ante illum compositus est.

In titulo C. I. A. n. 87 (ca. Ol. 90) invenitur scriptura: ΞΥΝΒΟΥΛΕΥΣΟΝΤ (vs. 4). Igitur pro *χσ* scriptum est Ξ, et pro O simplice comparet plenior scriptura OY.

Tit. C. I. A. n. 335, qui Pyrrhum auctorem profitetur H formam ad *η* litteram designandam adhibet in voce *ἐποίησεν*, quam ob rem in *Ὑγιείᾳ* voce spiritus asper omissus est. Pertinet hic titulus ad certas res, quas ca. Ol. 86 gestas esse constat; attamen id, quod nos habemus, tituli exemplum ca. Ol. 90 demum exaratum esse conicias, cum, quia H forma *η* litterae potestatem habet, tum propter speciem quandam recentiorem, quam ipsius tituli universa litteratura prae se ferre dicitur.

C. I. A. n. 40 (Ol. 89, 1) vide ter H formam cum *η* soni potestate usurpatam: vs. 21, 41, 52; praeterea semel Γ = *γ* (vs. 51).

C. I. A. n. 258 (Ol. 93, 1 — 3). Scriptum est ter H = *η*: vs. 6 *Ἀβυδηνοί;* vs. 13 *Χερρονήσῳ;* vs. 20 *Ἀλωπεκοννήσιον.*

C. I. A. n. 189 (Ol. 93, 2). Hic titulus valde est memorabilis. Inferiorem partem (*a*) prius incisam esse, quam superiorem (*b*) Kirchhoffius demonstravit. Aperte diversorum scalptorum manus

adgnoscuntur. Prima pars (*a*) omnino fere Attico alphabeto utitur: *η* ubique est E; porro *γ* = Λ; etiam Lamda littera duobus exemplis exceptis Attica forma L seu V utitur, sola in voce *Προβαλισίῳ*, quae bis invenitur (vs. 7 et 22) Ionica Λ forma incisa est. Deinde altera pars (*b*, vs. 1 — 11) Ionicas formas Γ et Λ promiscue cum Atticis Λ et L exhibet; vs. 1: *γ* = Γ in voce [*λο*]*γισταῖς*, qua in voce etiam *λ* = Λ fuisse summa cum verisimilitudine conici potest; eadem vox reperitur vs. 9 et vs. 11, sed ibi Attice scriptum est: LOΛIΣTAI; vs. 6 iterum Ionica forma Λ = *λ* in voce *Ἑλληνοταμίαις* occurrit. Sed ne in hac altera quidem parte *η* sonus Ionico H designatur. Tertia autem parte (*b*, vs. 12 — 27) constantissime H forma *η* litterae potestatem habet; eadem constantia *γ* et *λ* litterae Ionicis formis Γ et Λ utuntur. Praeterea hujus tertiae partis litterae valde coarctatae sunt.

Etiam in titulis C. I. A. n. 190 et 191 (ca. Ol. 93, 2 — 4) littera *η* constanter Ionica forma H designata est.

C. I. A. n. 146 (Ol. 94, 1): Littera *η* ambabus formis utitur: E comparet in voce *κληροῦχοι*, H forma in voce *Καρχησίων*; *ου* sonus constanter plene est scriptus.

Tit. C. I. A. n. 443 (ca. Ol. 90) praeter ea, quae praescripta sunt, Atticum alphabetum exhibet; in praescripto autem versu conspiciuntur Ionicae formae: Λ, H, Ω, Γ.

Restat titulus C. I. A. n. 338, quem scriptum esse Ol. 93, 1 ostendit Kirchhoffius. Litteratura plane est Ionica. Comparent constantissime formae Γ = *γ*, Λ = *λ*, H = *η*; praeterea etiam Ξ et Ω. Sed unum Kirchhoffius indagavit indicium, quo titulum ante Ol. 94, 2 exaratum esse clarissime comprobatur. Monet enim haec in C. I. A.: „Euctemones archontes novimus duo quorum alter munere functus est Ol. 93, 1 alter Ol. 120, 2. Huic vero anno tribui non posse titulum scribendi ratio docet, qualis cernitur in *πρυτάν*Eς et ΘO*κλείδης*.“ Namque ex inscriptionibus, quae inter annos Ol. 93, 1 et Ol. 120, 2 exaratae sunt, apertissime intelligitur, scripturas E = *ει* et O = *ου*, quamquam alphabeto Attico exstincto per certum temporis spatium in usu permanserint, tamen ante annum Ol. 120, 2 et ipsas ita ex usu depulsas fuisse, ut

illo tempore jam dudum omnino non potuerint usurpari. Videmus autem ex hoc titulo Ionicum alphabetum illo tempore (Ol. 93, 1) aliqua ex parte jam frequentissimum usum habuisse, quam ob rem non est mirum, quod mox ad restituendam scripturae unitatem ab altero alphabeto plane recessum est, et alterum, quod multo commodius et facilius erat, solum in usu permansit.

---

## Collectio eorum, quae de singulis alphabeti Attici mutationibus explorata sunt.

*(Vid. tabulam palaeographicam.)*

---

Ad finem pervenimus hujus disputationis. Unum restat, ut universa alphabeti Attici historia, quam brevissime sub uno conspectu hoc loco iterum comprehendatur, singulaeque singulorum temporum mutationes deinceps enumerentur.

1. Alphabetum Atticum vetustissimis temporibus viginti duas habuit litteras, quarum formae ante sexti saeculi initium eae fuerunt, quas in tabula infra adscripta col. I composui. Vau litterae ne in vetustissimis quidem titulis ulla vestigia reperiuntur; nec mirum est: nam ex ipsis his titulis vetustissimis conicere licet illis temporibus Vau litteram in dialecto Attica enuntiari jam pridem plane desitam fuisse. Quod, quo temporis spatio fieri coeperit, fortasse nunquam poterit dijudicari[1]). Koppa litteram aliquando suum usum habuisse, supra probavimus; certe autem ante medium sextum saeculum exstinctum est. (Cf. C. I. A. n. 355, C. I. G. n. 8). Scriptura illis temporibus vulgo bustrophica erat (C. I. A. n. 463 etc.), sed etiam recentior scriptura in dexteram conversa jam in usu fuit (C. I. A. n. 468). Antiquissimae vero scribendi rationis, quae in laevam spectabat, pauca supersunt exempla. (C. I. A. n. 466 *b* et n. 467).

2. Jam ante medium sextum saeculum ε litterae media E forma in usum venit, et praeter 𐌄 antiquissimum usurpabatur (C. I. A. n. 465 et 471).

3. Medio fere sexto saeculo 𐌇 forma mutata est in apertam H formam (C. I. G. n. 8).

4. Aliquanto post (ca. Ol. 62) litterarum My et Ny mediae formae M et N in usu versari coeperunt et inde ab hoc tempore usque ad quinti saeculi initium cum antiquissimis 𐌌 et 𐌍 formis

---

[1]) Cf. Kirchhoff: Gesch. d. griech. Alph. p. 69.

promiscue usurpabantur. Eodem fere temporis puncto (ca. Ol. 62) bustrophicam scripturam exolevisse verisimile est.

5. Extremis sexti saeculi decenniis (ca. Ol. 65) prima vestigia recentissimae E formae reperiuntur; antiquiores autem formae E et E et ipsae etiam postea admittebantur (C. I. A. n. 349 et 351).

6. Initio quinti saeculi vel paulo antea (ca. Ol. 68) ϑ litterae antiqua ⊕ forma in desuetudinem abiit, et ⊙ forma inde ab hoc tempore constantem usum accepit (C. I. A. n. 479).

7. Haud ita multo post (ca. Ol. 70 — 71) litterarum My et Ny antiquissimae M et N formae exolevisse videntur. Cum nullae nobis exstent inscriptiones, quae inter annos Ol. 70 — 75 compositae sint, accurate scilicet de hac re judicari nequit, sed quia jam ca. Ol. 76 My litterae recentissima M forma frequentem usum habuit (C. I. A. n. 5), M et N formas post Ol. 70 jam non in usu fuisse verisimile est.

8. Recentissima igitur M forma fortasse ca. Ol. 72 — 75 in usum venit. Atque eodem fere tempore etiam α litterae noviciam A formam primum usurpatam esse coniciendum est, cum unum titulum (C. I. A. n. 333) qui Ol. 76 scriptus est, hanc formam jam constanter exhibere viderimus.

9. Ad Ol. 76 fere consuetudinis στοιχηδόν scribendi primordia revocanda sunt; nam quamvis duo tituli ca. Ol. 76 exarati (C. I. A. n. 5 et n. 333) supersint, quorum litterae nondum στοιχηδόν sunt dispositae, tamen hoc tempore certe a nonnullis στοιχηδόν scribebatur, propterea quod ca. Ol. 78 — 79 haec scriptura plane usitata fuit.

Porro ca. Ol. 76 extrema vestigia formarum M, E E occurrunt (C. I. A. n. 333), quas formas idcirco certe ante Ol. 80 exolevisse opinandum est.

Ad idem fere tempus (ca. Ol. 76) referenda denique sunt recentissimae N formae initia, cum haec forma in titulo C. I. A. n. 5 bis compareat.

10. Ca. Ol. 80 formae A, A, N, N parem fere usum habuerunt, ita ut unusquisque scalptor utriusque litterae alterutram formam plerumque incidere soleret. Sic harum formarum quadruplus ille usus exstitit, quem supra uberius pertractavimus.

Porro anno Ol. 80, 1 vel 2 noviciarum Σ Υ, Φ formarum prima vestigia inveniuntur, quod quidem ex iis verbis apparet, quae in titulo C. I. A. n. 433 ab alio quodam lapicida ad marginem adscripta esse vidimus.

11. Hae formae Σ, Υ, Φ eo temporis spatio quod interpositum est inter annos Ol. 80, 2 et Ol. 83, 3 magis magisque increbuerunt.

12. Anno Ol. 83, 3 vetustiores N, Ϟ, Φ formae noviciis N, Σ, Φ formis prorsus ex usu depulsae sunt. Etiam Λ forma inde ab hoc tempore jam non invenitur nisi in paucis monumentis privatis. Sic semel comparet in titulo C. I. A. n. 422, qui titulus praeterea Ϟ formam exhibet. Υ autem novicium hoc anno vetustiorem Y formam non plane submovit; sed haec Y forma etiam postea praeter Υ reperitur.

13. Inde ab Ol. 83, 3 — Ol. 94, 2 denique verae, quae dicuntur mutationes jam non factae sunt. Sed prava illa consuetudine Ionicarum formarum titulis Atticis immiscendarum postremo factum est, ut ipsum alphabetum Atticum plane in desuetudinem abiret.

---

## MUTATIONUM.

| ϱ | σ | τ | υ | φ | χ |
|---|---|---|---|---|---|
| PDRR | ϟ | T | VY | Φ | X+ |
| PRR | | | | | |
| . . | ϟ(Σ) | . | YV(Υ) | Φ(Φ) | |
| . . | ϟΣ | . | YΥV | ΦΦ | |
| . . | Σ | . | . . . | Φ | |
| PRR | Σ | T | ΥY | Φ | X+ |